




327

H  
C  
10  
2

69-1

Sala	H
Gab.	
Est.	15
Tab.	2
N.	

1814



220#00

H  
C  
10  
2

ANTONII GOVEANI  
O P E R A

IVRIDICA, PHILOLOGICA, PHILOSOPHICA.

E X

BIBLIOTHECA VIRI NOBILIS  
GERARDI MEERMAN  
EDIDIT, VITAMQVE AVCTORIS PRAEMISIT  
IACOBVS VAN VAASSEN,

*IVRIS CONSULTVS.*



ROTTERODAMI,  
Apud HENRICVM BEMAN.

M D C C L X V I .

Liv. Manuel do Santo



АИМОГИ  
А Я Е О

ІАРИДІЧА, ТІЛОЛОГІЧА, ТІЛОСОПІЧА

Х З

БІБЛІОТНЕЧА ВІРІ НОРІЛІС

ГЕРАЯДІМЕЯНІА

ЕДІДІ, ВІТВОВЕ ВАСТОРІА ТРАМІЛІ


ІАКОВАС ВАН ВАДСЕН

ІАРІССО ВІСНАТА



ІАКОВАС ДОЯЗОХ  
ІАМІС МЕМІС ІІІ  
ІАРІССО ВІСНАТА

МДСКХАЛ



S E R E N I S S I M O  
G V L I E L M O V.  
A R A V S I O N E N S I E T N A S S A V I O  
P R I N C I P I,  
F O E D E R A T A E B E L G A R V M R E I P V B L I C A E  
G V B E R N A T O R I H E R E D I T A R I O,

E T A R M O R V M T E R R A M A R I Q V E P R A E F E C T O S V P R E M O

&c. &c. &c. &c.

G E R A R D V S M E E R M A N.



RIA sunt elapsa lustra, PRINCEPS SERENISSIME,  
ex quo Parenti Tuo Celsissimo inscripsi meum *Iuris*  
*utriusque Thesaurum.* Recepit volumen primum  
Pater hic patriae ea, quae innata ipsi erat, humanitate, ac  
gratia haud vulgari. Reliqua ut offerre ei possem, per acer-

O M D E D I C A T I O.

ba fata haud licuit; erepto Reipublicae tam caro capite in flore  
aetatis ipso illo anno, seculi huius quinquagesimo primo. Clad-  
es haec, omni ex parte gravis, mansisset omnino irreparabi-  
lis, ni superstitem Te, PRINCEPS DIGNISSIME, reliquisset  
nobis Deus, virtutum avitarum heredem, unicam domus Arau-  
sionensis sobolem masculam, unicam spem patriae. Vidimus pro-  
fecto in Te, pueritiam nondum egresso, & sub tutela Regiae  
Matris constituto, eas fese prodere animi dotes, quae nil nisi  
praeclara augurari de Te iubebant. Vidimus deinceps, mentem  
Tuam formatam egregie sub auspiciis LVDOVICI DVCIS BRVN-  
VICENSIS, Principis vere magni, cuius meritis erga Remp.  
nostram describendis ego hic supersedeo, quia marmorum peren-  
nitate illud dignius, quam perituris facile chartis. Hoc duce,  
PRINCEPS CELSISSIME, imbutus es non modo earum rerum  
cognitione, quas belli pacisque ducem nefas ignorare, sed cum  
maxime iis agendi regulis, quae Te populo Batavo gratissimum,  
hunc vero felicissimum reddere necesse est; dico amoris erga pa-  
triam, eiusque & iura & libertatem, comitatis erga Proceres, &  
benevoli erga cives animi. Ea, ut ab aliquot retro annis in Te  
perspicua fuere, ita exitus nobis spondent prosperrimos ab hoc  
ipso die, natali Tuo xviii. qui adeundae a Te Reipublicae sacer.  
Fausta haecce dies quandoquidem acclamationibus destinata est  
publicis, nolui, dum monumentum hoc literarium inscribi Tibi  
nd

be-

D E D I C A T I O.

benigne permisisti, tam opportunam negligere occasionem, quin & meam hac in parte laetitiam publice testatam Tibi redderem. Redeat illa dies semper fortunatior Tibi Tuaeque domui, in tempus usque remotissimum ac senectam Nestoris! Sit eius non solum nostrae aetati sed & futurae iucundissima semper recordatio! Aureo illa charactere nostris inscribatur fastis, ab eaque sumat exordium *Epocha Felicitatis Belgarum!* Multa certe sunt, quae supremus rerum Arbiter, Nassaviae genti dudum propius, superaddere Tua causa Maiorum gloriae voluit, quaeque in utilitatem Reip. nostrae redundatura est, quod auguremur. Tu quippe primus **ILLV-**  
**STRISSIME PRINCEPS**, vi Legis fundamentalis, gloriosissimi Patris Tui tempore latae, Batavorum regimen iure hereditario tenes, ad feros in perpetuum transmittendum nepotes. Sit igitur salus non modo inclytæ domus Tuae, sed &, quae arctissime ei iuncta, Reipublicae ipsius perpetua! Tu Patris exemplo septem unitarum Provinciarum administrationem, duas inter gentis Tuae stirpes olim divisam, iunctim recipis. Sit novum hoc societatis vinculum tanquam pignus perfectissimæ inter Foederatos concordiae! Tu tranquillam Rempublicam, imo media in pace Europæ, fidei Tuae se se committentem nunc invenis. Sit ergo symbolum Tuum maneatque semper oliva, absintque porro a laribus Tuis tropaea, quantumvis gloria! Commodis vero, **PRINCEPS SERENISSI-**  
**M E**, queis Patria nostra iam fruitur, aedesse quaedam incommoda

D E D I C A T I O.

oportuit, ut Tuae etiam relinquetur gloriae illa reparandi. Non pauca quippe agenda restant, ut Respublica nostra terra marique maiestatem suam tueatur, atque hac tuta sub aegide manere possit incolumis. Non pauca, ut Provinciarum controversiae concilientur vel dirimantur, & si quae his similia; quae prosequi pluribus neque huius est loci, neque necesse coram PRINCIPE SAPIENTISSIMO. Quod autem non alienum videtur a proposito nostro, fas sit verbo attingere. Liceat, PRINCEPS OPTIME, languentes Musas Tuo commendare favori, Tuo patrocinio! Dulce hae praecedente seculo apud nos invenere asylum, defensae a Potentissimis Ordinibus nostris, defensae a Celsissimis Gubernatoribus, defensae a Magistratibus urbium, defensae ab Academiarum Gymnasiorumque Moderatoribus, exultae denique a primi ordinis viris. Si ad ea tempora exegeris nostra MAGNE PRINCEPS, observabis, aureo aevo successisse argenteum dicam, an potius aereum? quod ni in melius vergat, verendum magnopere est, ne ad ferreum tendat, meramque post se trahat barbariem. Absit quidem, absit, ut deficere omnino in patria nostra magna ingenia contendam, qui probe novi, aedes nobis aliquot elegan-  
tioris doctrinae hilariorisque famae viros, orbem literarium fulgo-  
re suo ut sidera illustrantes! Sed neque illorum merita a nostratis  
bus digne aestimari videmus, neque id agi, ut plura huiusmodi  
lumina apud nos elucescant. Opus quippe eam in rem omnis

ge-

## D E D I C A T I O.

generis incitamento, opus praemiis, qualia distribui apud exteris nationes videmus, & largioribus forte, quam quae concessa huc usque, stipendiis. Hoc si fiat, videbimus e peregrinis oris ad nos advolaturos primi nominis in scientiis viros, ut olim Scaligeros, Salmasios, alios. Quod si artes spectes, reviviscere videbimus in Architectura Postios, Campios; in pictura Rembrantios, Douwios, Wouwermansios, Berchemios; in sculptura Visscheros, Sunderhoevios; in typographia Elzevirios, Blauwios; quorum omnium artificum grata quidem nobis semper memoria, sed pene extincta successio. Ut ergo novum sibi a magno Tuo excelfoque animo praefidum, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, liberalia studia & ingenuae artes pollicentur, ita etiam benevolentia Tua haud indignos censabis illos, qui viros doctos ope consiliove adiuvare pro virili student. Inter eos vero quum nomen profiteri meum non erubescam, spes est, ut adire mihi finas paterni erga me favoris hereditatem, spes est, ut inter clientes Tuos haud infimum mihi assignes locum. Recipe interea, PRINCEPS CELSISSIME, qua soles, bonitate, a manu mea, tanquam summae erga Te observantiae monumentum, *Antonii Goveani*, Iureconsulti ac Polyhistoris eximii, opera, quae reperiri potuere, a me collecta; digna profecto, quae sub nomine Tuo, tanquam supremi iustitiae Antistitis, in lucem prodeant, digna, quae exemplo sint aliis ad germanam Iurisprudentiae tractationem instituendam. Recensenda illa ac praefatione

D E D I C A T I O.

instruenda commisi Iacobo Vaassenio, ut Tibi ut Reip. literariae  
notus redderetur iuvenis doctus, industrius, & meliori, quam qua-  
nunc fungitur, statione dignus. Sed desino, PRINCEPS CARIS-  
SIME, ne in publica peccem commoda, quibus curas Tuas om-  
nes consecras. Veneror Deum Opt. Max. ut stabile Tibi ac per-  
enne regimen largiatur, Teque cum universa gente splendidissi-  
ma per multos annos servet incolumem! Dab. Hagae Comitum  
d. viii. Martii M D C C L X VI.

LECTORI

# LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

## IACOBVS VAN VAASSEN.



X quo tempore *Civili Scientiae* me tradere coepi, & praeter ipsa Quiritium iura, interpretum quoque recentioris aevi commentarios versare, illorum potissimum lectione delectatus fuit animus, qui ex interiore Antiquitatum & Historiarum notitia, cum summa utriusque linguae cognitione coniuncta, Iurisprudentiam Romanam illustrare annitebantur; horum ipse vestigiis cupide insistens, abhinc triennium, elegantissimam de *Censu Romanorum Lustrali* materiem, qua Eruditorum de nostris studiis iudicia experirer, elaborandam mihi sumsi: quum vero maiorem iste tractatus diligentiam requireret, diutius, quam initio apud me constitueram, eius editionem procrastinare coactus fui. Interea autem, dum *Censores* illi in dies magis magisque ornantur, ut qualicumque opera mea iuris Civilis studium adiuvarem, ac simul Ill. & Amplissimis Maecenatibus meis aliquam otii rationem redderem, hanc ANTONII GOVEANI *operum omnium* procuravi editionem:

Eximia certe Iurisconsultorum quorundam elegantioris ingenii opera quum hoc seculo typis iam repetita sint, plurima luculentissimis duobus *Thesauris* a cl. OTTONE & ill. MEERMANNO inserta, ab interitu vindicata, atque hoc ipso tempore ANTONII AVGVSTINI, SCIPIONIS & ALBERICI GENTILIVM immortalia monumenta, quorum illa Lucae, haec Neapoli prelum exercent, recentari videamus, novam quoque haec aetas desiderare visa fuit GOVEANI nostri editionem, quam bonis, ut equidem spero, auspiciis in dias luminis auras prodire iam nunc iubemus.

Sed huius erit loci, quod tua potissimum, Lector Benevole, scire intererit, ut consilii rationem & curam, quam in exornanda hac editione adhibui, breviter exponam.

Opuscula auctoris nostri *Iuridica*, quamvis semel atque iterum coniunctim edita, difficulter tamen nostris in oris sunt obvia: *Philologica* autem omnia tantae raritatis, quod exiguae pleraque sint molis, ut, in Gallia licet olim excusa, ne in ipsa quidem instructissima Regis Christianissimi bibliotheca cuncta reperiantur, & in aliis plerumque desiderentur. Quin & ipse ANTONII nostri adnepos, quod indicio debeo cl. PASINI, ill. Comes LV.D. NIC. de GOVEAN, dudum de colligendis ac publicandis

\* \* \*

GO-

P R A E F A T I O.

GOVEANI operibus quod ceperat consilium, ad exitum adducere haud potuit. Haec itaque felicitas uni contigit nobiliss. MEERMANNO, summo apud Batavos non tantum, sed & peregre Literarum patrono & adiutori, qui uti rarissimisque libris, ex omni parte Europae conquisitis, bibliothecam suam instruxit, ita conquirendis hisce GOVEANI monumentis a prima aetate diligentem curam impendit, eo animo, ut rediviva aliquando luce donarentur. Huic ergo pro absolutissima *hac operum Collectione* par est, ut omnes, quotquot Themidi & Literis favent, gratias tecum profiteantur immortales.

Vsi fuimus ill. MEERMANNI beneficio, praeter operum Iuridicorum collectionem primam, an. 1564. plerorumque tractatum editionibus principibus; de quibus singulis ordine dicam *Sect. 2. Diff. de vita Goveani.*

Brevem tractatum ad *I. 3. D. imperium. de Iurisd. omn. iud.* & librum de *iure Accrescendi*, utrumque anni 1545. qui in aliis operum editionibus desiderantur, ab eximio viro GREG. MAIANSIO ex Hispania MEERMANNO transmissos, hic rursum curavimus repetendos; uti & priorem *Commentarium de Vulg. & Pupill. Subst.* Tolosae edit. 1554. In reliquis iuris commentariis recensendis memoratam fere sequutus fui collectionem, ut poste antecedentibus saepe pleniorum; ubi vero contra priores editiones plura interdum continebant, ea inde supplevimus, uncis hisce [ ] inclusa, uti in *Lib. 1. Lett. Var. Iur. Civ. integrum caput, notatum Cap. II. A.* ex editione Tolosana an. 1554.

*Commentationi ad I. 3. imperium* adiunxi statim libros de *Iurisd. advers. EGVINAR. BARONEM*, licet illi libro de *iure accrescendi* successerint, ac similiter utramque editionem libri de *iure Accresc.* & *Commentarii de Vulg. & Pupill. Subst.* coniunctim hic exhibuimus: in reliquis ordinem chronologicum singulorum tractatum sequuti; de quo tamen non certo semper constat, quum quidem, ut ex ipso GOVEANO patet, priores nonnunquam fuerint editiones, quod initio non observaveram; unde accedit, ut ad calcem *Dedicationum* adiectus unicusque a me inclusus annus non semper epocham ipsius *Dedicationis*, quam quidem editionis, qua usus sum, exprimat.

Quae Philologici argumenti sunt, cuncta ad primitivas GOVEANI editiones sunt expressa: *commentario ad CICERONIS Orat. in Vatin.* & *duos libros Epist. ad Attic.* in commodum Lectoris, singulis capitibus praemisimus ipsa CICERONIS verba, eaque, quantum ex observationibus colligere dabatur, ad GOVEANI lectionem constituta.

Sed ne quid temere nos fecisse Lector arguat, ratio omnino reddenda est, cur in-

## P R A E F A T I O.

integrae hic recusae sint TERENTII *Comoediae* ex castigatione GOVEANI an. 1542. & seq. praesertim, quum per paucae & breves tantum sint eius ad TERENTIVM notulae: nimis ratio rei haec fuit; GOVEANVS, quum ad metri leges TERENTIVM restitueret, plura in eo castigavit, multa, vel a sententia Auctoris, vel dictionis elegantia admonitus, correxit, non ubique tamen emendationum caussas in *Notis* adiecit, ipse professus illud in *Praefatione* pag. 4. ed. b. 522. col. 1. his verbis: *At cum infinita prope nos primi, quicumque tandem sumus & quantulicumque sumus, quae egerent castigatione, depre- benderimus, & ab aliis animadversa, neque diu minus neque minus fortasse diligenter consideravimus, nostrumque esse aliquod potuerit iis de rebus iudicium, rei interesse literariae putavi, id omnibus, & qui hodie scriptorem hunc attingunt, & qui post nos lecturi sunt, per me fieri quam notissimum. Iudicii autem nostri caussas erit fortasse, cum explicabimus; quas in praesentia omnes persequi, ut, quam in- finiti esset laboris taceam, hominis esset certe minus, quam ego sim, occupati. &c.*

Quum ergo nec obvia facile sit haec editio, nec novissimi TERENTII Editores ea usi videantur, ne forte iniuria temporum aliquando intercidat, hic providere vo- lujimus.

Sequuntur *Epigrammata*, quorum utramque etiam dedimus editionem, alteram anni 1539. ex *Corpo Poëtarum Lusitanorum* cl. ANT. dos REYS; alteram ex ipsa GOVEANI editione an. 1540. tum quod in ea ex priore non omnia repetita sint, tum quod pleraque Epigrammata maxime differant.

Haec excipiunt aliquot GOVEANI *Versus*, hactenus inediti, quorum ex Msto bi- bliothecae Vaticanae, olim CHRISTINAE Suecorum Reginae, per nobiliss. MEER- MANNVM, copia mihi facta est ab ill. Comite JOSEPHO de GARAMPI, Pontificis Romani Archivario. In apographo, qui accurate ex codice Vaticano erat descriptus, plurima legebantur per quam vitiose, quibus restituendis diligenter operam dedimus: ita v. c. scriptum erat *Carm. II. vs. 17.*

*Salve cura deum, malus quos vidimus ipsi:*

*Vera loqui fas sit patrui adesse tuae.*

Et *Carm. IV. vs. 40. seqq.*

*Sic semel indomiti calce petitus equi.*

*Vitat equos: currus Phaeton expelle at alas*

*Icarus & nomen reddere nolit aquis.*

## P R A E F A T I O.

plura erant huius generis alia , quae singula persequi ostentationis foret vanae , & hominis in minutis ingenium criticum iactantis.

Vltimo loco fistuntur tres libelli , qui ad Philosophicam contentionem de *doctrina ARISTOTELIS* pertinent : quorum duo priores P. RAMI & hic inferendos censimus , non tantum , quod raro & illi inveniantur , sed etiam , ut eo magis appareat , qualis ea de re in academia Parisiensi fuerit concertatio .

Illud quoque verbo addendum , praeter haec GOVEANI opera , alia nonnulla memoriari , quae nunquam edita dudum forte interciderunt , alia edita quidem , ut *Porphyrii quinque vocum traductionem* , librum de *Conclusionibus & Criticam Logices partem* , quibus si quando potiundi detur copia , his supplementi vel appendicis loco accident : sed illa quidem ill. M E E R M A N N V S , omni licet adhibita opera in bibliotheca Caesarea Vienensis , Regia Parisiensi variisque Angliae bibliothecis publicis frustra quaesivit hactenus .

Observationes ex propria penu nullas intermiscui , ne eximiae magni GOVEANI purpurae viles pannos adsuere voluisse viderer ; quin quod initio constitueram , nonnulla hic obiter disputare de *aetate militari* , quae *plena pubertas* est (quam GOVEANVS fide corrupti codicis Liviani ad annum XVI. refert : vid. pag. b. ed. 117.) in opportunam magis occasionem differo .

Vitam Auctoris nostri , summa cura ac diligentia de novo conscriptam , universo operi praemisimus , quae quantum ab aliis *vitae GOVEANI delineationibus* differat , quidque a nobis in ea sit praestitum , comparatio docebit . In *Opusculis Iuridicis* recensendis singulis legibus , quae pro seculi more initialibus tantum verbis erant citatae , addidimus numerum ex edit. IAC. GOTHOFREDI : capitibus quoque praeposuimus summaria ; ac denique adiiciendos curavimus duo indices , alterum *Auctorum* , alterum *rерum & verborum* , in quo singula , quae ab Auctore nostro pertractantur , diligenter relata , nisi talia sint , quae necessario ad certam materiae , qua de agitur , quaestionem pertinent , ut a quovis facile ope summariorum reperiri possint .

Vale , Lector Benevole , & laboribus nostris , quos liberali Tibi manu offerimus ; favere incipe . Roterodami ipsis Cal. Martiis. CIC 15 CC LXVI.

IACOBI VAN VAASEN  
IVRIS CONSULTI  
DISSERTATIO  
DE  
VITA ET SCRIPTIS  
ANTONII GOVEANI  
AETATIS SVAE IVRISCONSULTORVM  
PRINCIPIS.  
AD  
ILLVSTRISSIMVM COMITEM,  
LVDOVICVM NICOLAVM DE GOVEAN.

ILLVSTRISSIMO COMITI,  
LVDOVICO NICOLAO DE GOVEAN

S. P. D.

JACOBVS VAN VAASSEN.

**R**EDIT ad Te, Illustrissime Comes, longo post fata tempore, quodam quasi modo redivivus, Atavus Tuus, ANTONIVS GOVEANVS, qui nobili in Lusitania genere oriundus, post in variis Galliae Academiis summa ingenii ac doctrinae laude illustratus, ad ultimum fere vitae tempus in Sabaudiam concessit, ibique ab optimo & Literarum amantissimo Principe EMMANVELE PHILIBERTO magnis in aula muneribus ac honoribus ornatus, insigne totius familiae decus & ornamentum, primus Nobilissimae GOVEANORVM gentis in Pedemontio auctor exstitit, cuius splendorem ac dignitatem, inde per integra duo secula ad Te, Illustrissime Comes, ab Avis & Proavis transmissam, hereditario iure eadem in regione possides, dignissimus magni ANTONII Adnepos. Vbi autem & ipse, aviti nominis celebrandi studiosissimus, benigne mecum communicaveris, quaecumque ad vitam ANTONII GOVEANI totiusque Splendidissimae gentis Tuae genealogiam & dignitatem facere videbantur, non longe mibi petenda fuit ratio, quare Tuo potissimum nomini banc Dissertationem consecrarem, quum quidem, ut certissima spe polliceri mibi possum, banc qualemcumque Tractationem bilari ac benigna fronte accipies & Illustri Tuo patrocinio haud censibus indignam.

Vale, Comes Illustrissime, meque inter Nobilissimae gentis Tuae cultores adscribito. Roterodami Postrid. Cal. Mart. CIC ID CC LXVI.

DIS-

D I S S E R T A T I O  
D E  
V I T A E T S C R I P T I S  
A N T O N I I G O V E A N I .

---

**D**epulsa felicibus auspiciis, quae per longam annorum seriem regnaverat, foeda barbarie, quum & laetior paullatim affulgere coepisset Iurisprudentiae Romanae facies, sola Gallia, foecundissima ingeniorum mater ac nutrix, tot uno simul tempore eximios protulit fovitque iuris Quiritium cultores & magni nominis Interpretes, ut nulli dubium esse possit, quin huic in primis regno rediviva Civilis Scientiae instauratio summo suo merito sit adtribuenda. Floruerunt illic, seculo ad medium vergente sexto decimo, Iurisconsulti quam plurimi, omnes eruditionis fama celebratissimi, qui id operam gnaviter dederunt, ut ab iniustis possessoribus ac barbaris rabulis iuris Romani studium vindicarent; quales fuerunt, ut quos memoria mibi nunc suggerit tantum commemorem, AEMYLIUS FERRETTVS, GVILIELMVS BVDAEVVS, IOANNES CORASIVS, EGVINARIUS BARO, FRANCISCVS DVARENVS, AEMARVS RANCONETVS &, clarissimum seculi sui decus atque ornamentum ingens, IACOBVS CVIACIVS: quibus omnibus parem se facile praestitit &, si ingenii acumen, subtile iudicium ac stili elegantiam species, plerosque superavit ANTONIUS GOVEANVS, rara isthoc (ut verbis utar summi Historici I. A. THVANI) atque omni aevo gloria, communi Doctorum suffragio hoc adsequutus, ut & Poëta elegantissimus, & summus Philosophus, & praestantissimus iuris Interpres simul haberetur; cuique, ipso CVIACIO teste, ex omnibus Iustinianei iuris Interpretibus, si quaeratur, quis unus excellat, palma sit deferenda.

Novam itaque operum omnium ANTONII GOVEANI editionem adornanti, utile visum fuit, excellentissimi Iurisconsulti ac Polyhistoris vitam, summa qua fieri potuit cura ac diligentia concinnatam, praemittere; eo magis, quod plurima, quae tum ad fata, tum scripta eius pertinent, observasse mibi videar, aliis (a) aut ignorata, aut neglecta, plurima quoque temere confusa & perperam tradita; in quibus tamen operose refutandis otio non abutemur, nostram ubique sententiam fide dignissimis aequalium fere scriptorum testimoniiis afferuisse contenti.

## SECTIO PRIMA.

## §. I.

**A**NTONIUS GOVEANVS, de Govea, vel ut aliis praeplaced de Gouvea (b) patrio idiomate dictus, ineunte seculo sexto decimo (c) Pace Iulia (Beiae) (d) haud igno-

(a) *Vitam GOVEANI conscripsierunt EL. VINETVS in Epist. ad Andr. Schottum inserta huius Bibl. Hispan. p. 475. THVANVS Lib. XXXVIII. Histor. Tom. II. pag. 476. Edit. Londin. an. 1732. SCHOTTVS (seu potius, verus libri auctor, VAL. ANDR. TAXANDER) dict. Bibl. pag. 300. quam inde postea LEICKHERVS Vitis cl. Iectorum inseruit & paucis notulis illustravit edit. Lipsiae 1686. NIC. ANTONIUS Bibl. Hispan. Nov. edit. Romae 1672. I. V. GRAVINA de Orig. & Progress. iur. Civ. cap. 172. edit. Lips. 1737. ANT. TEISSIER Elog. des Hommes savans, tirez de l'Histoire de M. de Thou Tom. I. pag. 270. edit. Traiect. 1696. eodemque anno Anonymus editor GOVEANI operum Iuridic. quae Neapoli prodierunt. DIDAC. BARBO SA MACHADO Bibl. Lusitan. Tom. I. pag. 291. seq. edit. Olyssipone 1741. qui apographo usus fuit IOAN. SVARESII de BRITO Theatr. Lusitaniae Literat. (qui liber, scriptus circiter 1635. in Ms. asservatur in bibliotheca Regis Galliae) EMANUEL MONTEIRO Tom. VII. Corpor. Poëtar. Lusitanor. edit. Olyssipp. 1748. cura ANT. dos REYS. Ex Lexicographis MORERI & praecipue BAYLE Dicit. Hist. Critiq. art. Govea. Baelii plures errores notavit doctiss. L'ADVOCAT Remarq. Critiq sur le Diction. de M. Bayle. edit. Paris. 2 voll. in fol. 1752. FREHERVS in Thatr. viror. eruditione claror. & P. BLOVNTIVS Censur. celebr. Auctor. qui*

tamen aliorum dictis nihil de suo superaddiderunt. Sed nuperrime CL. JOSEPHVS PASINVS, bibliothecae Regiae Taurinensis Praefectus, ab ill. MEERMANNO de Goveano consultus, ei transmisit plenissima excerpta ex *Vita ANT. GOVEANI*, in gratiam LVD. NIC. Comitis de GOVEAN conscripta, per IOAN. THOM. TERRANEVM Ictum doctissimum, Historiarum & Chronologiae peritissimum. Plura alia, apud varios Auctores hic illic obvia, passim suis quaeque locis citabimus.

(b) Vid. MORERI; atque ita constanter in Bibl. Lusitan. exhibet MACHADO; sed alii plerique omnes de Govea scribunt.

(c) Anno nimirum quinto, ut ex tempore mortis, iuxta THVANVM, clarissime appetet, de quo suo loco dicemus.

(d) Vrbem Beiam pluribus describit ANT. CARVALHO da COSTA in *Corografia Portugueza* Tom. II. pag. 465. edit. Liboa 1708. huius urbis Antiquitates illustravit IAC. de GOVEA BARRADAS, cuius librum Mstum citat MACHADO Bibl. Lusitan. Tom I. pag. 658. Pace Iulia autem natum suisse Goveanum, constat ex Epist. I. ad Catbarin. vs. 17. idemque VINETVS & alii testantur. Errat itaque CAES. EGASIVS BVLAEVIS in *Histor. Universitat. Parif.* quam ex Actis Rectorum edidit Parif. 1665. ubi Tom. VI. pag. 919. Antonium nostrum vocat *Vlyssiponensem*.

ignobili provinciae Alenteio urbe in Lusitania (e) natus fuit. Quantum ad gentis originem attinet, omnia quam maxime sunt incerta: vix enim persuaderi potest, illum ex vetustissimo & perquam illustri Goveanorum stemmate fuisse oriundum, (f) nisi materno tantum genere. Avus etenim GOVEANI maternus fuit ANTONIUS de GOVEA, Eques ordinis Christi, (g) qui virtute bellica egregie inclitus (h) cum Rege ALPHONSO V. interfuisse traditur expeditioni contra Turcas sive potius Sarracenos, anno circiter 1471. suscepitae, & in altera equitum ala simul cum LVPO ALBVQVERCIO, Pennae Maioris Comite, aliisque consanguineis suis acerrime pugnavisse. (i) Huius filius IACOBVS (l) sub annum 1521. collegio

San-

(e) Quam *Lib. II. Var. Lect. Cap. 24.* vocat τρηχεῖαν ἀλλ' αἰγαθῆν κουροτρόφον, ad imitacionem CICERONIS, qui *Lib. II. ad Attic. Epist. II.* ita appellaverat Arpinum, ubi nihil erat praeter saxa & montes.

(f) Nobilissima fuit illa vetus Goveanorum familia, nomen sortita ab oppidulo *Gouvea*, quod apud Pesures, ad radices montis Astriferi, in amoenissima regione situm est: copiosius oppidum illud descripsit CARVALHO da COSTA in *Corograf. Portuguez. Tom. II. pag. 373.* Plurimi ex hac gente primariae dignitatis viri ortum habuerunt, ut patet ex *Genealogia*, quam pro Manfredo Goveano, Antonii F. composuit LUDOV. FERRERIA AZEVEDIUS an. 1603. vid. MACHADO *Tom. III. pag. 94.* Quum autem ille, ut recta linea ex vetusta Goveanorum gente Antonium nostrum repeatat, patrem eius faciat *Manfreduum de Gouvea*, Iacobaei ordinis Equitem, cuius nulla usquam occurrit mentio, aliaque omnia, quae de Goveani maioribus tradit, perplexe adeo conscripta sint, ut ne quidem speciem veri prae se ferant, post accuratius examen, quod necum instituit ill. MEERMANNVS, harum rerum peritissimus, suspecta merito visa fuit ista Goveanae gentis Genealogia, eum tantum in finem confecta, ut certo inserviret scopo.

(g) Vid. MACHADO in art. *Andr. & Ant. de Gouvea.*

(h) Summam avi fortitudinem egregio celebravit epigrammate ANTONIUS nepos, unde & constat, senem illum obiisse: vid. *Epigram. 39. poster. edit.* avi etiam mentionem facit *Epist. I. ad Catharin. vs. 25.*

(i) Teste AZEVEDIO.

(l) THVANVS *Lib. XXXVIII. Tom. II. pag. 476.* Andream vocat, male omnino, dictus fuit

Iacobus, ut VINETVS aliquique constanter eum appellant: conf. BAYLE *Dicit. Hist. Crit. art. Ignatii de Loiola. VINET.* & alii hunc Iacobum Goveani patruum dicunt, rati, paterno genere illum ex Goveanorum familia descendere. Hic Iacobus Goveanus Theologus fuit celebris, iam ante an. 1518. Sorbonnae Doctor creatus: postea quum Ioannes III. an. fere 1521. Parisiis Divae Barbarae instituisset collegium, in quo regio sumtu alerentur & docerentur aliquot adolescentes, Iacobum huic collegio praefecit. Meminit quoque *Iacobi* huius BVLAEV<sup>S</sup> *Tom. VI. Hist. Univers. Paris. pag. 340.* ubi vocatur: D. & M. Iacobus a Gouvea, senior, in sacra Theologia Doctor, & collegii Barbarici (sic) Primarius: senior autem dicitur, ut a Iacobo iuniore, qui post cum avunculo in eodem collegio fuit Primarius, distinguitur. Sub hoc seniore Iacobo cursum Philosophicum in schola Barbarana perfecit celebris *Ignatius de Loiola*, ut patet ex *Vita* eius, conscripta a RIBADENEIRA *Lib. I. Cap. 3. conf. BAYLE in art. Ignatii.* Idem hic procul dubio fuit Goveanus, qui in ROB. STEPHANI *Respons. ad Censuras Theologor. Parif. edit. Parif. 1552.* in 8. pag. 23. dicitur *Goveanus senex*, qui cum Ruffo praesidebat in conclavi apud Mathurinos, vid. *ibid. pag. 35.* & seq. ubi Stephanus vocat illos *imperitissimos & sibi inimicissimos homines.* Ultimo vitae tempore in Lusitaniam redux a Rege Joanne III. gravioribus negotiis admotus est: obiit Olyssipone VIII. Dec. 1557. vid. MACHADO *Bibl. Lusit. Tom. I. pag. 656. col. 2. BELCHIOR BELLAGO in Orat. ad Conimbricam habita an. 1548. Vir gravissimus, omnium Literarum genere ornatus, Iacobus a Gouvea, Doctor praestantissimus, qui Literas excoluit, iuuentutemque ad earum studia sic*

\* \* \*

San-Barbarano, quod Lutetiae hoc fere tempore instituit IOANNES III. Lusitaniae Rex, praefectus fuit Moderator primarius: filia autem INESIA sive AGNES de GOVEA (m) nuptias contraxit cum ALPHONSO LOPEZIO de AYALA, (n) Equite Castellano, isque numerosam septem liberorum prolem ex uxore sibi procreavit, quorum filii quatuor, (o) assumto a matre Goveanorum nomine, post immaturam & calamitosam optimi parentis mortem, quam fortuna uterentur minus prospera, (p) omnes summa animi contentione ad eruditionis laudem viam ingressi sunt: ubi namque domi utriusque linguae fundamentis diligenter essent instituti, avunculus IACOBVS GOVEANVS Lutetiam in collegium Barbaranum secum abduxit, ibique summo studio Literis Humanioribus & Philosophiae operam navarunt. Sed priusquam accuratius de ANTONIO dicere incipiamus, paucula summatim de tribus fratribus, natu maioribus, in antecessum sunt memoranda.

¶. II. MARTIALIS GOVEANVS, (q) fratum natu maximus,

(r)

sic incendit, ut nullum sit gymnasium, a quo plures Doctores Grammatici, Poëtae, Historici, Oratores & Philosophi prodire soleant. Scripsit hic IACOBVS Tractatum Theologico Dogmaticum contra Lutherum, qui in MS. exstat, teste MACHADO. Iacobi Goveani mentionem etiam faciunt ORLAND Hift. Soc. Ies. Lib. 1. n. 71. IOAN. SVAR. de BRITO Theatr. Lusit. Literat. Lit. D. n. 16. aliique plures, quos citat idem MACHADO Tom. 1. pag. 657.

(m) Ignes patrio idiomate dicta, unde Inesiā illam vocat GOVEANVS Epist. IV. ad Catharin. vs. 7. & 17.

(n) Teste doctiss. MACHADO in Bibl. Lusitan. auctoritate, ut videtur SVARESII de BRITO in Theatro Lusitan. Literato, cuius libri apographo se usum fuisse, testatur in Praefat. qua de re ut certius mihi constaret, scripsit ill. Meermannus ad Capperonarium, bibliothecae Regiae Praefectum, eumque rogavit; ut ex isto SVARESII libro excerptum de Goveani vita transmitteret, sed, quod iam altera vice Meermanno accidit, responsum frustra exspectavit hactenus. Ceterum vetustissima fuit & perquam illustris gens illa de Ayala, atque a longo iam tempore summae inter Hispanos dignitatis, uti patet ex Genealogia, quam ex professo scripsit ex ea ipse oriundus PETRVS LOPEZ. de AYALA, qui sub quatuor Castellae Regibus Petro, Henrico II. & III. & Ioanne I. floruit, insignes honores

ac munera Magni Castellae Cancellarii, Supremique Vexilliferi aliaque gessit, & obiit an. 1407. aetatis suae 65. multis aliis scriptis clarus: vid. NIC. ANTON. Bibl. Hispan. Vet. Lib. x. Cap. 1. & GER. ERN. FRANCKENAV Bibl. Hispan. Genealog. pag. 342. conferri quoque de nobili hac gente meretur ALPHONS. LOPEZ HARO in Nobiliar. de Espagna Tom. II. pag. 44. edit. Matriti 1620. An vero Alphonsus ille Lopez de Ayala, Goveani pater, ex vetusta hac gente originem habeat, incertum est; ipse quidem GOVEANVS in Epist. ad Catharinam & alibi generis nobilitatem maxime extollit; alii quoque nobilem Lusitanum vocant; conf. FERRERIUM sub fin. Epistolae, qua Goveano Notas in Institutiones inscripsit; ut facile appareat, haud obscuro loco natum fuisse.

(o) Quatuor fuisse fratres, constat ex cit. Epist. ad Catharin. princ. VINETVS tamen, quem postea ad unum fere omnes sequuti, tres tantum memorat, Martialem, Andream & Antonium, quarti, quem Iacobum quidam dictum fuisse crediderunt, plane oblitus.

(p) Ut colligere datur ex Epist. ad Catharin. III. vs. 35. seq. & aliunde.

(q) Plures fuere in academia Parisiensi hoc tempore Goveani; BVLAEVVS Tom. VI. pag. 919. ubi de Antonio nostro agit; fuit, inquit, eiusdem nominis & cognominis D. Anton. de Govea Eburensis, qui incepit in Artibus in Nat. Gall.

(r) peracto feliciter in schola Barbarana studiorum cursu, Lutetiae primum sub avunculo suo IACOBO Grammaticas artes docuit; inde in academiam Pictaviensem evocatus primarius Latinitatis Professor, (s) per aliquot rursum annos in celebri collegio Literas summa cum laude professus est: tandem sub an. 1547. Conimbricam fratrem ANDREAM sequutus est, (t) ipsique in novo hoc collegio constituendo adiutor exstitit. Edidit Parisiis Grammaticam Latinam: (u) Poëtices autem maxime studiosus ligato sermone eleganter scripsit Epistolas, Elegias aliaque carmina, in quibus stylum in primis OVIDII imitandum sibi proposuit; (x) sed nunquam illa edita dum interciderunt. (y)

¶. III. ANDREAS GOVEANVS Lutetiae studiis Theologicis, Philosophicis ac Literariis summam operam navavit, ibique Artium Magister creatus an. 1522. ex eo tempore sub avunculo IACOBO ipse Literas & Philosophiam in collegio D. Barbarae docuit; (z) deinde sub an. 1532. avunculo suo adiutor & secundus

quasi

Gall. sub M. Pelagio Rodorico an. 1542. Rectore M. Leodegario a Quercu: fuerunt & alii plures, ut legitur in Actis Rectoriis. Rochus de Govea & Simon de Govea, an. 1525. iurati, Rectore Prothaisi. Damianus de Govea Vlyssiponensis. Iacobus de Govea, Ioannes de Govea & Michaël de Govea, an. 1527. Andreas de Govea, Eburenensis, an. 1522. Rectore Doleto. Iacobus Rodoricus, dictus de Govea, Parif. an. 1533. iuratus. Mirum, quod nullam hic aut alibi Martialis Goveani mentionem faciat. Martiale autem hunc dictum fuisse, clarissime constat ex Epigramm. 27. ANT. GOVEANI, quod inscribitur, Martiali Goveano fratri: atque idem & VINETVS in Epist. ad Schott. diserte scribit, qui Martialem Pictavis novit: frustra ergo contendit doctiss. L'ADVOCAT in Obs. Crit. ad Dictionar. Baelii, nullum ex Goveani fratribus Martialem fuisse appellatum; neque, ut ipse asserit, adeo infrequens esse hoc nomen in Lusitania, patet ex BARB. MACHADO Bibl. Lusitan. Tom. III. pag. 403. seq.

(r) Ita VINETVS aliique testantur, L'ADVOCAT tamen Andream omnium natu maximum fuisse, putat; de quo mihi non liquet.

(s) Teste MACHADO in Bibl. Lusit. Tom. III. pag. 404. col. 1. & VINET. cit. Epist. ad. Schott. ubi scribit, Martialem Goveanum sibi Pictavis (ubi studiorum caussa degebatur an. circiter 1535.) ostendisse sua carmina.

(t) Vid. rursum MACHADO & quos citat.

(u) Vidisse se aliquando hanc Grammaticam testatur VINETVS. edita fuit Parif. 1534. in 8. vid. NIC. ANTON. Bibl. Hispan. Nov. Tom. II. p. 72.

(x) Vid. VINETVS & IOAN. SVAR. de BRITO Theatr. Lusitan. Literat. Lit. M. n. 6.

(y) Conf. VINET. Epist. cit. PETRVS SANCHES in Epist. ad Ignatium Moralem Tom. I. Corpor. Poëtar. Lusitanor. ubi Antonium nostrum eximie laudaverat, ita de Martiale canit.

Nec tibi fraterno coniunctum sanguine vatem  
Subticeam, qui nomen habet, quod Bilbilis alta  
Indidit arguto mordacis fellis alumno.

Vngibus arrosis, Vmbro iam vate relicto,  
Cynthia mirari & vellet fortassis amare.

Ex tempore saepe, data occasione, epigrammatica pangebat, cuius generis hoc est, quod citat MACHADO:

In cratere meo Thetis est coniuncta Lyaeo,  
Est Dea iuncta Deo, sed Dea maior eo.  
CADAB. GRAY. quem citat MACHADO, de Obitu Regis Ioannis in Dedicat. ad Regin. Catharinam vocat Martialem ornatissimum virum, Hispaniensium Latinorum Principem. vid. & PETR. ANG. SPERA de Nobilit. Profess. Grammaticae edit. Neapoli 1641. in 4. Lib. IV. fol. 289. TAXANDER Catalog. Clar. Hisp. Scriptor. pag. 84. edit. Mogunt. 1607. Professorem Parisiensem & Grammaticum minime trivialem vocat.

(z) Vid. VINET. Epist. ad Schott. Bibl. Hisp. pag. 475.

VIII. VITA ANTONII GOVEANI.

quasi Primarius adiunctus, (aa) in sequenti etiam anno d. XXIII. Junii Rector universitatis Parisiensis renuntiatus est. (ab) Hic quum egregie suo munere perfungeatur, anno 1534. a S. P. Q. Burdigalensi evocabatur, ut collegio Aquitanico, (ac) quod magna tum temporis cura magnisque sumtibus erigeretur, praeesset Moderator & Primarius: quo cum venisset, ex mandato Procerum, undique ad se vocavit viros eruditissimos, ad iuuentutem docendam. Horum in numero fuisse leguntur BUCHANANI fratres, (ad) IOAN. GELIDA, ANT. GOVEANVS, ELIAS VINETVS aliique plures; quibus adiutoribus ANDREAS GOVEANVS brevi tempore scholam Burdigalensem tanta prudentia optimis legibus instruxit, ut totius Galliae celeberrima haberetur, & ipse IVL. CAES. SCALIGER, eruditorum eo tempore Princeps, filium suum natu maximum SYLVIVM in disciplinam ANDREAE nostro tradiderit. (ae) Annos fere duodecim summa cum laude in collegio hoc Aquitanico

Hu-

(aa) Non enim, ut BAYLE putabat, in locum avunculi successit, sed una cum ipso collegio Barbarano praefuit, uti & post Andreae discessum Burdigalam, Iacobus Goveanus in eius locum sublectus: conf. cl. L'ADVOCAT in Obs. ad Baelium.

(ab) Vid. Catalog. Rector. universitatis Parisiensis apud BULAEVM Histor. Univers. Parif. Tom. vi. pag. 977. conf. eod. Tom. pag. 238. ad an. 1533. ubi vocatur M. Andreas Goveanus, Lusitanus, collegii San-Barbarani Primarius.

(ac) Ita per excellentiam vocato, quod unica esset totius Aquitaniae academia, in qua omnis generis doctrina publice traderetur: vid. MIDENDORP Academiar. Celebr. Lib. vi. pag. 390. edit. Colon. Agripp. 1602.

(ad) Ut patet ex Vita Buchanani, quam ipse conscripsit, praefixa Oper. omn. editioni, ubi testatur in schola Burdigalensi, invitante Andrea Goveano, per triennium se docuisse: plures, qui in eadem schola sub Goveano tum temporis docuere, recenset SCHOTTVS in Bibl. Hisp. pag. 617. in Vita Ioan. Gelidae.

(ae) Ut constat ex Epistola SCALIGERI ad Andream Goveanum, quae exstat in collectione Epistolarum num. XL. edit. a FRANCISCO DOVSA Lugd. Batav. 1600. in 8. quam integrum hic inserendum putavi, tum quod rarius obvia sit illa editio, tum quod ad Goveani laudem eximie faciat.

ANDREAE GOVEANO

Gymnasiarchae Burdigalensi.

Etsi perspectam habebam humanitatem tuam erga eos, qui tuae fidei committerentur: tamen non putavi faciendum, ut quam pietatem in te agnoscerem, in me ipso desiderarem. Mitto maximum natu liberorum meorum ad vos, quorum auspiciis te duce atque moderatore evadere positis, quem neque in disciplinam vestram me tradidisse, neque vos instituendum suscepisse unquam poeniteat. Ac quamquam eius indoles maturius me acuere debuit atque ipsius commodis prospicere, tanta tamen horum est acerbitas temporum, ut multum me diuque suspensum animi habuerit: cum equidem mallem, illum inter operas trivialium marcescere, quam ire perditum fese, atque aetatem suam per eorum insolentiam ac pravitatem, quorum ipsum & voluissim & sperassim futurum aliquando castigatorem. Et erat valetudo paulo minus secunda, quae impraesentia facta firmior excitavit memoriam in me tuorum erga rem publicariam meritorum, cuius virtutibus atque sapientiae crederem fortunas meas; quarum magnitudinem neque in veteri splendore, neque in nova dignitate, sed in liberorum meorum eruditione atque frugalitate positam existimabam: quo futurum est, ut cum suscepis bunc, quantum ille proficerit in Literis, tantum ego progressionis sim facturus ad vitam, quae in me per se brevis ac fluxa eius successione cum sit propaganda, sine illius ornamenti iam nunc vero acerba sit futu-

*Humaniora studia professus, (af) singulari sua humanitate ac morum elegantia ceteros Doctores ita sibi devinxerat, ut quum an. 1546. (ag) ab laudatissimo & Literarum amantissimo Principe IOANNE III. Lusitaniae Rege in patriam revocaretur, ut collegium Conimbricense (ah) ad instar scholae Burdigalensis institueret, eo plerique illum fuerint comitati, uterque scilicet BUCHANANVS, NIC. GRVCHIVS, GVIL. GVERRENTAEVS, EL. VINETVS, IANVS COSTANVS, IACOBVS TEVIUS & ANT. MENDEZIVS, magnis Regio nomine propositis stipendiis & immunitatibus; (ai) relicto Burdigalae, qui interim, dum ipse abesset, collegio praeferetur, IOANNE GELIDA.*

*Quum autem GOVEANVS, intra biennii spatium (al) schola Conimbricensi in*

or-

*ra mibi. Quare, mi Goveane, te vehementer obsecro atque etiam obtestor pro tua pietate, ita hunc habeas commendatum, ut in eo animi bona excoluisse, in me etiam animum ipsum servasse videaris: neque potius in fortunae temeritate, quam in tuis consiliis atque auctoritate tam boni patris spes sitas fuisse, intelligam.*

Filium his literis commendat Goveano *Sylvium*, non ut quidam putabant, *Iosephum*, vid. BVRMAN. in *not. ad Vit. Buchanani*, quod & clarissime ex carmine quodam eiusdem SCALIGERI intelligitur, ad *Andream quoque nostrum perscripto*, in *Farragine carminum pag. 173. edit. Poëmat. omn. an. 1621.*

*Ad GOVEANVM.*

*Te licet in numero antebeat lector Tolosa  
Rara etenim, & claris conspicienda viris.  
Augustaque premat Caturcos mole senatus,  
Cuius ab excelsa numine iura vigent:  
Inde tamen potiora tuae ad miracula linguae  
Inque loco veteris fratris habendus adit  
Sylvius, extremae non ultima cura senectae,  
Quo indocto patrem vivere posse neges.  
Pignore non opus hoc fuerat: sed pignus habes, seu  
Cordis habes animam, seu cor habes animae.*

(af) Quanta cum laude Goveanus scholae Burdigalensi praefuerit, vid. in BVSINI *Praefat. ante Epistolas IOAN. GELIDAE*, impress. Rochellae 1571. de quo libro rarius obvio conf. SCHOTTVS *Bibl. Hisp. pag. 617. in Vita Ioan. Gelidae*, (cuius auctor quoque videtur idem BVSINVS) & BEYERVs in *Memor. Libror. rar. pag. 207. n. 66.*

(ag) Perscriptae sunt Regis literae ad Goveanum an. 1546. ac sequenti anno, ineunte vere, cum suis comitibus profectionem suscep-

pit: vid. apud SCHOTT. *Vit. Gelidae* pag. 618. THVAN. *Lib. xvii. sub fin. LVRBAEVs in Chronic. Burdigal. & Vit. Buchanani*, ubi quod in *not. dicitur*, Goveanum an. 1542. scholam Burdigalensem reliquisse, interea temporis alibi moratum, verum non est: confundit forte Auctor *Observationis* eius cum *Andrea Goveano nostrum Antonium*, quem cum an. 1542. Lutetiam rediisse sciret, temere scripsit, Andream eo anno Burdigala abiisse.

(ah) Academiam Olyssipone Conimbricam transtulit, ibidem iam ante multos annos a Rege Dionysio ordinatam, vid. *Theatr. Regium Portugall. pag. 23. auctore I. B. LAMBERTINO edit. Bruxell. 1628. conf. de Conimbrica academia PEDR. de MARIZ *Dialogo v. de varia Historia de Portugal pag. 473. seq. edit. Olyssipone 1674. & SCHOTTVS in Bibl. Hisp. pag. 474. ubi ex HECTORE PINTO Dialog. iv. de Rerum causis plura in laudem Ioannis Regis Lusitaniae memorat; summus certe fuit ille eruditionis patronus; GOVEAN. de Iurisd. Lib. ii. pag. 38. Regem invictissimum ac dominum suum vocat, & Epigramm. 58. eximie laudat.**

(ai) Vid. *Vit. Gelidae* in SCHOTTI *Bibl. Hispan. pag. 617. BUCHANAN. in Vita sua & THVAN. ll. cc.* Et Vineto quidem in annum stipendium ducenti constituti fuere Ducati: vid. *brevem Vitae Vineti delineationem* ad calcem eius *Commentar. ad AVSONIVM* edit. Burdigal. 1590.

(al) Vti ex iisdem supra citatis Auctoriibus clarissime appetet; ea enim conditione Goveanus Conimbricam fuerat profectus, ut intra biennium Burdigalam redditurus foret.

\* \* \*

(am)

ordinem iam redacta, Burdigalam reverti cogitaret, morte ipsi quidem immatura, cunctis comitibus acerba praeventus, Conimbricae diem supremum obiit, Idib. Iunii an. 1548. paucos supra quinquaginta annos natus, (am) ibique in Regali coenobio S. Crucis sepultus est, inscripto in tumulo ipsius hoc epitaphio:

Iulia Pax genuit; rapuit Conimbrica corpus:

Excoluit mentem Gallia: Olympus habet. (an)

Nulla ANDREAS ingenii monumenta posteritati reliquit, (ao) laboriosissima docendi provincia usque occupatissimus: florenti tamen fuisse fertur ingenio atque omni doctrinarum genere probe imbutus, liberalis maxime & eruditorum hominum fautor. (ap)

§. IV. Tertius ANTONII frater quo nomine fuerit appellatus, minime certum est;

(am) Recte omnino VINETVS citat. saepius Epistol. ad Schottum Goveani mortem Idibus Iunii ponit an. 1548. quod & affirmat BELCHIOR BELLAGO in Orat. quam habuit Conimbricae Cal. Octobr. 1548. de Disciplinarum omnium studiis ad universam Academiam Conimbricensem impres. ibid apud Ioan. Barerium & Ioan. Alvares: ubi in laudes Goveani exspatatus haec addit: Hunc nobis tristia & importuna fata hac ultima aestate eripuerunt & illius morte magnum Literarum ornamentum abstulerunt, conf. MACHADO in Bibl. Lusitan. art. Andre de Gouvea.

(an) Citat hoc epitaphium incerti Auctoris doctiss. MACHADO: aliud honorificum non minus in Andreae obitum carmen exstat GEORG. BUCHANANI Lib. II. Epigr. 18.

Alite non fausta genti dum rursus Iberae  
Restituis Musas, hic, Goveane, iaces.  
Cura tui Musis fuerit si mutua, nulla  
Incolet Elysium clarior umbra nemus.

(ao) MACHADO tamen citat eius Orationes habitas in Collegio Barbarano MS. easque puro & Ciceroniano stilo exaratas, maximi aestimatas semper fuisse viris doctis, affirmit.

(ap) Vid. VINETVS Epist. ad Schott. ubi scribit, Andream Goveanum fuisse Theologum, Sacerdotem & Concionatorem: & in Vit. Ioan. Gelidae pag. 617. dicitur: Vir de universa Aquitania & Literis, ut si quis alias, optime meritus, homo pius, doctus & ad regendam iuventutem omnino natus.

Plures alii Auctores eximie laudant: vid. P. ANGEL SPERA de Professor. Gramm. Lib. IV.

pag. 352. & 458. Resp. Portugal. pag. 364. IOAN. SVAR. de BRITO Theatr. Lusit. Literat. Lit. A. n. 40. MARIZ. Dial. v. de varia Historia Cap. 3. IACOB. MOENET. VASCONCELLVS in Vita sua Bibl. Hispan. SCHOTTI insert. pag. 520. virum gravissimum vocat.

Illud hic praetermittendum non est, eundem hunc esse Goveanum, qui in PASSAVANTII (ficto nomine Benedicti Passavantii hanc epistolam scripsit THEOD. BEZA adversus Lisetum, Praesidem: vid. TESSIER les Eloges Part. II. p. 373.) epistola ad calcem Epistolar. Obscur. viror. edit. Londini 1710. vocatur, Magister noster de Govea Sinapivorus, conf. idem BEZA Histoir. Eccles. des Eglises Lib. I. pag. 28. ubi ita scribit: Ce ne fut rien à la fin, hormis qu'un pauvre serviteur fut baillé entre les mains du Principal du college André de Gouvea, Portugais, Docteur de la Sorbonne (surnommé communement Sinapivorus, c'est-à-dire Avalemoutarde) pour estre châtie, & avoir comme on dit la Sale. Putabam in persona aberrasse BEZAM, quem Andream vocet, quem dicere debuisset Iacobum, is enim Doctor fuit Sorbonnae, ut supra notavimus; (Andream Doctorem Sorbonnae fuisse, nusquam alibi legi) atque ita cum CL. MAITTAIRE Ann. Typogr. II. 456. 19. Sinapivori cognomen referebam ad Iacobum Goveanum, seniorem, qui Praeses fuit cum Ruffo in conclavi apud Mathurinos: at vero, quem BEZA hoc loco agat de martyre quodam Protestantium, an. 1542. XXI. Aug. Burdigalae cremato, certissimum est, Andream Sinapivori cognomine a BEZA indigitari. (aq)

est; (aq) sunt, qui & bunc ANDREAM dictum fuisse putent, (ar) ut duo fratres, quod quidem exemplo plane non caret, (as) eodem nomine in sacro Baptismatis fonte fuerint insigniti; alii vero tertium bunc fratrem faciunt IACOBVM GOVEANVM, (at) qui post ANDREAE discessum Burdigalam, Lutetiae una cum IACOBO seniore collegio Barbarano praefuit Primarius, & xv. Dec. 1538. Rector universitatis Parisiensis creatus, in sequenti anno cum suis Regentibus importunam litem exercuit apud Rectorem; (au) verum is quidem frater non fuit, sed tantum consobrinus, filius nimirum GONSALVI de GOVEA, (ax) fratris IACOBI senioris.

¶. V. ANTONIVS GOVEANVS, septem liberorum natu minimus, (ay) quamvis serius ac diu post fratres studiis operari incepit, omnes tamen ingenii ac doctrinae laude longe superavit. Hunc carissimum sibi prae aliis nepotem ab ipsa iuvenili aeta-

te

(aq) VINETVS aliique eum sequuti tres tantum fratres memorant; ipse ANTONIVS noster, quamvis scribat in Epist. I. ad Catbarin. tres sibi fuisse fratres eosque ante, quam ipse veniret, Lutetiae studiis operam dedisse, nusquam in scriptis tertium fratrem nominat; nec MACHADO in Bibl. Lusitan. qui accuratissime singulos huius nominis recenset, ullam tertii fratris mentionem facit, quare ipsum aut iuvenili aetate Parisiis diem obiisse, aut studiis non inclaruisse putaverim.

(ar) Vid. doctiss. de la MONNOYE l'Anti-Baillet Tom. I. pag. 332.

(as) Quo casu addi solet senioris vel iunioris distinctio, vid. nobiliss. MEERMAN. Orig. Typogr. Cap. VII. §. IX. n. bo. & br. Tom. I. pag. 172. seq.

(at) Ita putabat L'ADVOCAT Remarq. Critiq. eius sententiae & ipse, nondum meliora edoctus, subscripsi; tum quod BVLAEV<sup>S</sup> Histor. Univ. Parif. Tom. VI. pag. 942. scribat; Iacobum Goveanum, seniorum vulgo dictum, Primariatum communicasse cum nepote Iacobo iuniore: ubi per nepotem sororis filium intelligebam; quo certe significatu nepotis vocabulum frequens medio aevo, interdum & antiquis scriptoribus usurpatum; vid. cl. SCHVLTING ad Paull. Rec. Sent. Lib. IV. Tit. II. n. 14. tum in primis, quod idem BVLAEV<sup>S</sup> eod. Tom. pag. 919. Antonium nostrum dicat Iacobi Goveani seu fratrem (Iacobi iunioris scilicet) seu nepotem (senioris) Sed fallitur Bulaeus, quem saepiuscule minus accuratum deprehendere licet: suit enim is Iacobus iunior, Iacobi senioris ex fratre nepos.

(au) Vid. Catalog. Rector. Univers. apud BVLAEV<sup>M</sup> Tom. vi. pag. 997. conf. idem pag. 942.

Iacobus hic iunior an. 1540. ex collegio Barbarano in Regium Navarrae gymnasium transiit, ibique mansit in sodalitio Theologorum ad mensem Ianuar. 1544. quando Magisterii gradu donatus Licentiatus Sorbonnae creatus est: vid. IOAN. LAVNOII Histor. Reg. Navar. Gymnasi in Oper. omn. edition. an. 1732. Tom. IV. Part. I. pag. 416. ubi tamen in prae-nomine Goveani manifeste errat, Andream vocans, qui fuit Iacobus, ut vel inde patet, quod ibid. ipse addit, hunc Goveanum 1538. XVII. Cal. Ianuar. Rectorum universitatis fuisse electum; quo certe tempore Andreas dudum Burdigalae iam in collegio Aquitanico erat Primarius. Hic ergo iunior Iacobus Goveanus, postquam Lutetiae Theologiae Doctor creatus erat, in Lusitaniam reversus ab Ioanne III. ad concilium Tridentinum missus est 29. Sept. 1557. una cum Iacobo Vasconcello, Iacobo Sylvio, legationis Principe, & Iohanne Paez, Iurisconsulto: vid. Vitam Iacobi Moenitii Vasconcelli (quam ipse scripsit, ut testis est ANT. RESENDVS Antiquit. Lusitan. pag. 264. edit. Romae 1597.) in SCHOTTI Bibl. Hispan. pag. 521.

(ax) Vid. doctiss. MACHADO Bibl. Lusitan. Tom. I. p. 657. col. I. unde & patet, hunc Iacobum iuniorem fuisse Militaris ordinis D. Iacobi Polimellae Antistitem, & obiisse II. April. 1576.

(ay) Ut ipse indicat Epist. ad Cathar. I. vs. 20. unde & vs. seq. patet, Antonium serius, quam maiores natu fratres Luteriam venisse.

te optimus avus ANTONIVS militiae consecraverat, laudis suae successorem; (az) verum ipse mansuetiorem vitae rationem expetens, relictis castris, animum Humanioribus studiis addixit. Anno 1527. (ba) Lutetiam venit, ibique per integros septem annos in celebri D. Barbarae collegio tanto studio, tanta animi contentione literis Graecis ac Latinis & Philosophiae Aristotelicae navavit operam, ut brevi tempore suos inter aequales doctrina maxime illustraretur. Praeceptoribus usus est doctissimis, praecipue IACOBO avunculo & amicissimo fratre ANDREA, a quibus Literarum cognitione probe imbutus, ad graviora studia animum applicuit, & in Philosophia Aristotelica (bh) audivit eximum virum PELAGIVM RODORICVM, populariem suum, & clarissimum eo tempore ARISTOTELIS Interpretem. (bc)

¶ VI. Anno 1534. fratrem ANDREAM Burdigalam sequutus (bd) in collegio Aquitanico cum viris doctissimis (be) Literas & Philosophicas artes ipse summa cum laude professus est: eaque in urbe familiarissimos sibi habuit GEORG.

BUCHANANVM, AEMARVM RANCONETVM (bf) & alios complures.

(bg)

(az) Vid. cit. Epist. ad Catharin. vs. 25.  
 (ba) BVLAEVS Hist. Univers. Tom. vi. pag. 919. Ant. Goveanus, Lusitanus Vlyssiponensis, iuratus an. 1527. quo indicare videtur, Goveanum artium Magistrum eo anno fuisse creatum, (creabantur namque iurati, uti ex ipso BVLAEO variis locis patet:) At vero Goveanus isto primum anno Lutetiam venit, ut ex Epist. ad Catbar. colligitur, ubi scribit septem annos Parisiis se moratum, inde Burdigalam fratrem Andream esse sequutum (an. scil. 1534.) nondum ergo an. 1527. iuratus artium Magister creari potuit.

(bb) Contra doctiss. Auct. Observ. Critic. ad Dictionar. Baelii, scribit, Goveanum in Philosophiae cursu quinque annos transegisse, qui ad artium Magisterium necessario requisiti fuerint, duo reliquos dedisse Literarum studiis. Verum SCHOTTVS Bibl. Hisp. pag. 616. in vita Io. Gelidae diserte testatur, quatuor Philosophica stadia fuisse quaternorum annorum & PETR. MAFFEIVS in vita Ignatii de Loiola, qui in collegio Barbarano, hoc eodem fere tempore, cursum Philosophicum peregit, scribit, statutum fuisse triennium cum dimidio: conf. BVLAEVS Tom. vi. pag. 383. ubi ex Actis Rektoriis memoratur deliberatio, de cursu Philo-

sophico, qui fuerat trium annorum & semestris, ad biennium cum dimidio redigendo.

(bc) Ipse GOVEAN. Responso pro Aristot. pag. 791. hunc eximie laudat.

(bd) Vid. cit. Epist. vs. 29. VINET. Epist. ad Schott. in Bibl. Hisp. & LVRBAEV in Cronic. Burdigal. ad an. 1534. loco supr. cit.

(be) Quos illuc secum Andreas abduxerat vid. supr. BUCHANANI exstat Hendecasyllabum ad Ant. Goveanum, scriptum post Goveani discessum Burdigala. vid. infr. Sect. III. n. 3. inter Elogia. THVAN. Lib. LXXVI. pag. 99. Goveanum summum Buchanani amicum vocat.

(bf) Conf. GOVEAN. ad Topica Ciceronis n. 36. pag. b. ed. 460. ubi illum Burdigalae decus, alibi Galliae clarissimum lumen & virum acerrimi iudicii & singularis eruditiois vocat. Honorifica etiam Ranconeti mentio exstat in THVANI Histor. Lib. xxiii. ad an. 1559. & apud SCAEV. SAMMARTHAN. Elogior Lib. 1. pag. 46. Praeter admirabilem & stupendam disciplinarum omnium, iuris Civ. potissimum, cognitionem, instructissimam quoque librorum veterum & Mitorum bibliothecam possidebat Ranconetus, teste LUDOV. MIRAEV Praefat. ad Imp. Justiniani Novell. Constitutiones edit. Lugduni apud Ioan. Tornaeium & Guil.

Ga-

(bg) Summa hoc tempore carminis Latini feliciter pangendi facultate floruit, eoque nomine ab ANT. MURETO (bh) aliisque laudatus; quin & IOS. SCALIGER (bi) optimum quoque Poëtam Gallicum fuisse tradit, qui adeo bene Gallice loquutus fuerit, ut Lusitanum non iudicaveris. (bl)

§. VII.

Gazeium 1561. in fol. Quin hunc etiam Ranconetum nonnulli auctorem faciunt laboriosissimi operis de *Formulis solennibus Pop. Rom.* idque postea B. BRISSONIVM Paris. 1583. volunt suo nomine in lucem edidisse; sed vid. doctiss. TREKELL in *Praefat.* pag. 10. ante *Opera Briffonii minora.* edit. Lugd. Batav. 1749.

(bg) Quos passim laudat in *Epigrammatum libris.*

(bh) Vid. MURETI *elogium Sect. III. N. 4.* & ibid. N. 6. CNOBELSDORFII *carmen.* BLACKWALL. de *Praefant. classic. auctor.* pag. 184. inter illos, qui cum plausu luserunt, Goveanum primo loco ponit. conf. etiam I. A. de SANVARIO in *Rep. Ictorum.* p. 191.

(bi) Vid. *Elogia. Sect. III. N. 8.*

(bl) Inter alia eius Epigrammata, Burdigalae pleraque scripta, elegantissimum illud est, quo vetus hoc Graecum epitaphium:

ΑΕΙΨΑΝΑ ΔΟΤΚΙΔΗΣ ΔΙΑΥΜΑΤΟΚΟΥ  
ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΕ (sic pro κεῖται legebatur)  
ΗΣ ΜΕΜΕΠΙΚΤΟ ΒΡΕΦΗ ΖΩΟΝ ΠΑΤΡΙ  
ΘΑΤΕΡΟΝ ΑΤΤΗ.

Latine his numeris reddidit:

*Hoc tumulo Lucilla iaces enixa gemellos;  
Illa patri supereft, est comes ille tuus.*

Vid. Lib. I. Epigr. 9. alio modo vertit in *repetit. edit. Epigr. 13.* De Graeco epitaphio vid. VINETVS in *Comm. ad Ausonium* edit. Burdigalae 1590. in 4. pag. marginal. 201. I. ubi & suam aliorumque versiones exhibit: memorat quoque eas IOD. SINCERVIS in *Itinerar. Galliae Cap. 30. Append.* pag. 40. & FR. G. FREYTAG. Tom. III. Apparat. Literar. pag. 296. omnes primam *Epigrammatum* editionem sequuti. Eiusdem & temporis est acutissimum distichon, quo BRIANDVM VALLIVM, Senatorem Burdigalensem (non enim Professor fuit Burdigalenfis, ut MENAGIVS putabat, nec Senator Tholofanus, ut SCALIGER in *Scaligeran. primis*) notavit.

*Cum tonat, ad cellas trepido pede Vallius imas  
Confugit, in cellis non putat esse Deum.*

Citat hoc GOVEANI Epigramma LEODEGARIUS à QVERCV (*Léger du Chesne*) in *Farragin. Epigramm.* edit. duobus voll. in 16. an. 1555. & seq. sed pro trepido pede ibi legi-

tur propero, & secundo versu an putat esse Deum? pro non putat esse Deum. Vid. *l'Anti-Baillet cum nott. de la MONNOYE Cap. 70.* Respondit dein VALLIVS hoc modo:

*Antoni Goveane, tua haec Marrana propago  
In coelo & cellis non putat esse Deum.*

Qua retorsione, licet non rite opposita acuto GOVEANI disticho, ut recte censet de la MONNOYE ad Menag. Tom. III. pag. 222. edit. Paris. 1715. iniurius maxime fuit Vallius Goveano non solum, sed Hispanis etiam Iudaizantibus, de quibus & illud intelligi voluit, *Marrana propago;* plura de huius vocabuli significatione & origine Gen. MAIANSIVS in literis ad ill. MEERMANNVM, datis Olivae XVIII. Cal. Dec. 1764. scripsit, in hunc modum: „ *Marrana propago* idem est ac *Hispana*: a *Maurus* „ enim vel *Mauritanus* dictum est *Mauranus* „ & ab hoc *Marranus*, idque patet ex ipsius „ SCALIGERI testimonio, qui, cum dixit, „ *expurgatorios indices habere Marranorum est*, „ significare voluit *Hispanos* non *Iudeos*: quod „ minime intellexit THEOPH. RAYNAUDVS „ in *Erotematis de bonis ac malis libris, Erotem.* „ I. pag. 4. Atque hinc explicandus est ipse „ SCALIGER, qui Iudeum quendam Zapor „ tam *Marranum* nominavit, in *Scaligeran.* „ pag. 349. ibidemque ait, *Tholosae Iudeos* „ ita etiam appellatos, peioresque esse Hispanis. „ Sin aliter sentias dici poterit, *Marranum* apud „ Hispanos, testibus ANTONIO NEBRIS „ SENSI, PETRO de ALCALA & SEBAST. „ COVARRUBIA, significare *maialem*, hoc „ est verrem anniculum castratum: ideoque Iudei recens ad Christianam religionem con „ versi, ut resert DIDACVS VELASQUEZ „ (vero nomine *Simancas*) in *Defens. Statut.* „ Toletan. pag. 82. & 83. dicti *Marrani* al „ lusione acuta ad circumcisionem, ut ego exi „ stimo, non quia, ut idem ait COVARRU „ BIAS, cum Iudei convenerunt de Iesu „ Christo, vero Deo, agnoscendo, illis per „ missum fuerit, ut porcina abstinerent, vale „ tudinis causa, quia scilicet illis insueta erat. „ Alias notationes post alios indicavit Marchio „ MONDEIARENsis *Animadvers. cvi. ad* „ IOH. MARIANAE *Histor. de reb. Hisp.*” Sed

XIV. VITA ANTONII GOVEANI.

§. VII. *Burdigalam reliquit GOVEANVS anno fere 1537. ac primum Tolosam tetendit, ubi per breve temporis spatium commoratus (bm) adiit Avinionem, qua in urbe diutius aliquanto substitit, (bn) privatis studiis, Poësi in primis, maxime intentus; sed quum Avinione in otio & pro more civitatis liberius vitam ageret, (bo) ab AEMYLIO FERRETTO, (bp) quem amicum non ita pridem sibi conciliaverat, admonitus est, ut ingenium liberalibus disciplinis probe iam exercitatum studio Civilis Scientiae traderet. (bq) Concessit ergo GOVEANVS Lugdum,*

*Sed in viam. Animadversor Menagianus VAL-*  
*LII distichon ita reformavit:*

*In cellis putat esse Deum Goveanus Iacchum,  
At Christum in coelis non putat esse Deum.  
Inter Goveanum & Vallium nulla tamen in posterum animorum fuisse videtur dissensio, ut patet ex hoc carmine:*

BRIANDO VALLIO  
Senatori Burdigalensi

ANTONIVS GOVEANVS.

*Iura tuae gentis & mores aspice, Valli,  
Ordinis o pectus consiliumque tui.  
Publica Burdigalae chartis res vivet in istis;  
Et meliore sui parte superstes erit.  
Moenia, templa, domus pereant fortasse cantaque,*

*Litera non poterit tam pretiosa mori.*

Praemissum est hoc carmen ANT. FERRONII, Senatoris Regii Burdigalenfis, *Commentariis in Consuetudines Burdigalenfum*; edit. Lugdini 1540. repetit. ibid. 1565. in fol. apud Ant. Gryphium. Inter GOVEANI Epigrammata, cum posterioris sit temporis, non comparet.

(bm) Quod colligendum videtur partim ex Epist. 1. ad Catharin. ubi statim post Burdigala discessum, Avinionem se migrasse scribit:

*Hinc me post varias fatalis Avinio terras  
Accipit. &c.*

antequam tamen eo venit, Tolosam appulisse, ex fine cit. Epist. constat; partim, quum persuadere mihi non possim, quod aliis visum fuit, Goveanum sex tantum menses Avinione moratum fuisse; vid not. seq. Errat certe NIC. ANTONIVS, dum in Bibl. Hisp. scribit, Goveanum Tolosae an. 1539. Iurisprudentiam profsum fuisse, deceptus VINETI verbis, quae male intellexit, in Epist. cit. ad Schottum, ubi scribit, Goveanum iuri operam dedisse Tolosae: quod si verum, ante an. certe 1539. fuit.

(bn) Nimirum Avinione plura scripsit Epigrammata in honorem Catharinae Boffremontanae (sic in prima Epigrammatum editione constan-

ter appellat:) tum quod ibidem, ut credibile est, orationes pro Euagora & Ctesiphonte habuerit, quarum meminit in Libb. Epigramm. Quo etiam spectare videntur versiculi ex Epist.

1. vs. 61. seqq.

*Quin etiam cupiens omni tibi parte placere,  
Ingenii coepi prodere signa mei.*

*Doctorum tenui totis sex mensibus aures,*

*Nec fuit ingenio fama sinistra meo.*

Ex quo penultimo versu, non video, quomodo colligat doctiss. Auctor. Obs. Critic. ad Dictionar. Baelii, Goveanum per sex tantum menses Avinione moratum fuisse.

(bo) Libera enim ea in urbe erat vivendi ratio, a qua Goveani ingenium non alienum fuisse, hinc inde coniectari licet: eleganter de Avinione i. c. SCALIGER cecinit in Vrbibus. Carm. 24. pag. 550. in edit. Poëmat. omn. an. 1621.

*Vivendi ratio cum libertate recepta*

*Efficiunt, ut sis altera Roma tibi:*

*Templa, forum, celsa subducta palatia coelo,  
Magna haec; te, plus est, dicere posse tuam.*

(bp) Vitam Aem. Ferretti scripsit HELENVS RIBITTUS, eius discipulus, praemissam Operum omn. edit. Francofurti 1598. in 4. postea a BUDERO insertam Collectioni vitar. Itorum Ienae 1722. obiit FERRETTVS 1552. Avinione. Summa veneratione ac pietate Praeceptorem coluit Goveanus, passim illum Iurisconsultorum principem & alterum parentem suum appellans: dedicavit Ferretto a. 1542. Commentarium in CICERONIS Interrogat. Vatinian. qua exhortatur eum, ut Notas in Institutiones in lucem edat, quas sequenti anno Goveano inscripsit. Postea an. 1554. quum Goveanus Cadurco Valentiam iuris docendi caussa peteret, Avinionemque appulisset, sepulcrum eius eleganti epitaphio honoravit, quod vid. Carm. IX. pag. 712.

(bq) Vid. Epist. FERRETTI ad Ant. Goveanum, quam Sect. III. N. 1. inter Documenta varia inseremus.

(br)

num, (br) ibique per tres annos diligentem adeo operam dedit eximio huic Iurisconsulto, ut brevi hoc temporis spatio, quasi ad Iurisprudentiam natus, veram optimamque interpretandi leges rationem animo complexus sit. Nondum tamen veterum deliciarum omnino oblitus, eadem in urbe Epigrammatum libros & quatuor Epistolas ad CATHARINAM edidit, VIRGILIVM quoque castigavit & TERENTIVM suis versibus restituit. (bs)

§. VIII. Sub finem anni 1541. vel sequentis initium (bt) Lutetiam redux, Literas rursum in Parisiensi academia sub avunculo docuit; TERENTII Comoedias, denuo castigatas, in lucem emisit, & eleganter ad CICERONIS Orationem in VATINIVM & duo priores libros Epistolarum ad ATTICVM commentatus est. (bu) Deinde ad Philosophiae studium conversus, summa cum laude ARISTOTELEM interpretari coepit, adhibitis veterum Graecorum commentariis. (bx) Minime vero, licet ARISTOTELI addictus, probavit GOVEANVS barbaram quorundam eius temporis Aristoteleorum. docendi rationem, qui verbosis commentariis nihil efficiebant aliud, quam ut egregiam artem, quam ipsi haud noverant, novis vocabulorum monstris obscurarent; vidimus, inquit alicubi, vanam ac loquacem Philosophiam, Dialecticam ipsam, omnium artium effectricem, conspurcatam & constupratam. (by) Ipse Dialectices quo-

(br) Non enim Avinione audivit Ferrettum, ut THVANVS scribit, haud rite observato tempore: nam post Goveani demum discessum Lugduno, Avinionem se contulit Ferretto, ut ius Civile ibi diceret. Sub initium an. 1539. Goveanus Lugdunum venit, ut patet ex eius libro de iure Accresc. primae editionis an. 1545. ubi ad finem fere scribit, se tres annos Lugduni operam dedisse Ferretto, neque ex eo tempore, addit, (annus autem hic est septimus) a Iurisconsultorum libris longius unquam oculos dimovimus. Quae verba parenthesi inclusa in posteriore editione an. 1549. sunt praetermissa: non satis itaque accurate Animadversor Baelii scribit, tres annos, quibus Goveanus Lugduni sub Ferretto studuit, incepisse sub finem 1539. & ad mensem Octobr. 1542. durasse, quum iam & initio eius anni Lutetiam venisse, certum sit. Hinc & iuxta intelligi poterit, quanti sit ponderis ANAST. GERMONII narratio Pomeridian. Session. Lib. 4. quando scribit, casu Goveano oblatam fuisse occasionem, ut se iuri Civili tradaret: nimirum cum Lutetiae Philosophiam

profiteretur (id autem fuit 1542. & seq.) fortuito incidisse in Pandectarum libros, ubi veterum I&torum doctrinam admiratus, tanto incensus fuerit Iurisprudentiae studio, ut posthabitis Philosophorum libris, totum se iuri addixerit.

(bs) De quibus vid. Sect. 2. Diff. ubi singula Goveani opera eorumque editiones recensentur.

(bt) Non ante mensem Octobrem 1542. Goveanum Lugdunum reliquisse, scribit Auctor Observ. Critic. ad Di&t. Baelii: sed quum in Dedicat. Commentar. ad CICERONIS Vatin. scripta Parisiis vi. Cal. Septembr. 1542. profiteatur, se Commentarium illum ea in urbe elaborasse, certissimum est, ipsum iam initio huius anni Lutetiam rediisse.

(bu) Vid. Sect. 2. in operum recensione.

(bx) Vid. quae ipse ea de re scribit in Respons. pro Aristotele pag. 783.

(by) Ad calcem Lib. II. de Iurisd. & in Respons. pro Aristotel. pag. 791. col. 1. conf. de barbara & insulsa Aristoteleorum doctrina I. A. de LANVARIO Resp. Iclorum pag. 190. seq.

quoque peritiam (bz) egregiis declaravit speciminiibus, edito in CICBRONIS Topica ad TREBATIVM eruditissimo Commentario, doctissima Critica Logices Parte & libello de Conclusionibus.

¶. IX. Mox sequenti anno summam sibi gloriam reportavit GOVEANVS ex susceppta fortiter pro ARISTOTELE disputatione publica contra PETRVM RAMVM (ca), importunum excellentissimi Philosophi oppugnatorem. Sed dignissima illa res est, quae paullo altius repetita ordine pertractetur. Varia fuerat buc usque in Academia Parisiensi ARISTOTELIS fortuna, hoc autem tempore doctrina eius publica auctoritate stabilita (cb), communi etiam Interpretum consensu recepta fuit; donec PETRVS RAMVS, qui, relicta Eloquentiae professione, ubi ad Philosophiae studium animum applicuisset, in eaque scientia autodidactos, sine ullo magistrorum ductu, (cc) aliquam sibi notitiam comparasse videretur, Magister artium creatus, (cd) publice continuo Dialecticam profiteri coepit, & contra ipsum Philosophiae Principem in arenam descendit, edito simul cum Dialecticis Institutionibus libro Animadversionum Aristotelicarum (ce), in quo tum ipsum ARISTOTELEM, tum veteres eius atque recentioris aevi Interpretes calumniis ac scurrilibus quibusdam vociferationibus laceffere instituit. Quod ubi plerique universitatis Doctores baud aequo animo ferrent, saepius ea de re in confessu Professorum actum fuit (cf), qua

maxi-

(bz) Valens Dialecticus vocatur SCALIGERO Scaligeran. prim. pag. 59. Summus Philosophus THVANO, cuius vid. Iuculentissimum elogium.

(ca) Vitam Rami ex professore scripsit THEOPH. BANOSIVS & IOAN. THOM. FREIGIVS. Tardo, rudi & stupido ingenio fuisse, dicitur in Scaligeran. prim. pag. 127. plura de ipso congettis BAYLE in *Dictionar.*

(cb) De varia Aristotelis fortuna in academia Parisiensi elegantem conscripsit Dissertacionem IOAN. LAVNOIVS, edit. Paris. 1553. insert. Oper. om. editioni an. 1732. Tom. IV. P. 1. p. 205.

(cc) Vid. eximus libellus EMUNDI RICHERI *Obstetrix animor.* edit. Ambergae 1608. pag. 17. ubi Ramus, inquit, serius ad Philosophandum & sine ductu magistorum se contulit, & maximam sibi levitatis notam apud omnes eruditos conflavit, quod de finibus artium regundis, Deo TERMINO reclamante, hoc est contra Aristotelis

& veterum oracula temere disceptare, quam ingeni sui mobilitati certos terminos defigere maluerit. THVANVS etiam Lib. LII. erroneam in Philosophicis studiis doctrinam Ramum invexisse scribit; & SCAEV. SAMMAR THAN. Elogior. Lib. II. pag. 82. Philosophiam non tam apte, quam alia studia tractasse.

(cd) Iam tum Ramus, quum Magister artium crearetur, Aristoteleorum animos exacerbaverat, proposito in disputatione hoc problemate, quaecumque ab Aristotele dicta sunt, commenticia sunt: vid. ALESSANDRO TASSONI, *Pensieri diversi* Lib. X. cap. 3. citat. a BAELIO art. Ramus. conf. FREIGIVS in vit. Rami.

(ce) Vterque liber simul editus Paris. mensis Septembr. 1543. in 8. apud Iac. Bogardum.

(cf) D. xx. Octobr. ac pluries postea, vid. BVLAEV S Tom. VI. pag. 387. ubi quod ex libro Rectorio memorat excerptum, infra Sect. III. N. 2. inter alia *Documenta exhibebimus.*

(cg)

maxime ratione obviam esset eundum acerrimo buic tranquillitatis academicae turbatori. Itaque Rectore universitatis eo tempore GVILLELMO MONTVELLO decretum fuit, ut quaestio ad cognitionem Iudicum Parisiensium deferretur, quorum interdicto publico statim cautum, ne liceret cuiquam istos RAMI libellos venales proponere: (cg) deinde & Aristoteorum quidam contra Auctorem ipsum insurrexerunt, eiusque ferocientem animum ac linguam scriptis retundere conati sunt, quorum princeps ANTONIVS noster GOVEANVS, qui tribus post editas RAMI Animadveriones mensibus elegantem suam pro ARISTOTELE Responsionem in lucem emisit, (ch) eoque tractatu singulas adversarii sententias persequutus ita refutavit solide, ut ex omnibus, quotquot ab ARISTOTELE starent, unus deligeretur, qui communem totius universitatis caussam in se susciperet.

Vbi autem in dies maior fieret omnium rerum ac studiorum perturbatio, & RAMVS, ut erat ingenii inquieti (ci), magis magisque atram bilem in Philosophiae Principem evomere pergeret, eiusque Interpretes continuo dicteriis proscindere, tandem Christianissimus Galliarum Rex FRANCIVS i. id veritus, ne quid inde academia detrimenti caperet, controversiae huius cognitionem a Curia ad se transferri voluit, quo breviori via ad finem adduceretur. (cl) Itaque decrevit Sapientissimus Rex, ut GOVEANVS, qui se ad libros RAMI oppugnandos paratum significaverat,

(cg) Vid. *excerpt. ex libr. Rector. Sect. III. N. 2.*

(ch) Prodiit GOVEANI *Responsio* Paris. 1543. cuius Dedicatio ad IAC. SPIFAMIVM scripta est v. Cal. Decembr. plura vid. *Sect. 2. seq.* post Goveanum PERIONIVS & GALLANDIVS contra Ramum scripserunt, ac postremo etiam CARPENTARIUS, a quo aemulo & seditionem in laniena Parisiensi an. 1672. adiuvante, inmissis sicariis Ramus e cella, qua latebat, extractus inflictis multis vulneribus misere trucidatus est: vid. THVANVS *Lib. LII.*

(ci) Vt ex *Animadvers. in Aristotelem* singulis paginis constat: petulanter in optimos veteres scriptores, Ciceronem etiam & Quintilianum debacchari solitus, ut patet ex *Animadversionibus TVRNEBI* in *Rullianos P. Rami Commentarios*, quae nomine LEOD. à QVERCV editae. vid. *Oper. Turnebi Tom. I. pag. 72.* & seqq. edit. Argentorat. 1600.

(cl) Conf. ipsum *Regium Edictum*, ubi cuncta

haec latius exposita, vid. *infr. Sect. III. N. 4.* Scribit P. GALLANDIVS in *vita Petr. Castellani* pag. 75. seq. edit. a STEPH. BALVZIO Paris. 1674. Quum de Rami iniuriis Professores Parisienses graviter apud Regem essent conquesti, Regem statuisse, ineptum hunc Philosophum ad remos damnatum triremibus addicere; sed Petrum Castellanum, Magnum Franciae Eleemosynarium, Regis animum ad mitiorem partem transduxisse, sophistam nugantem nullo capitali supplicio esse afficiendum, sed in disputationis certamen commissum argumentis convincendum & ratione aliqua leviore ad meliorem mentem esse reducendum, &c. Quam GALLANDII narrationem temere nimis BAELIVS mendacii suspectam habet, cum quidem verbis ipsius TALAEI, Ramo licet amicissimi, non omnino repugnet.

XVIII. VITA ANTONII GOVEANI.

verat, & ipse RAMVS uterque duo Arbitros sibi eligerent, viros doctos, moribus & doctrina insignes, in linguis probe exercitatos ac Philosophiae peritissimos, qui & ipsi libros ad accuratius examen revocaturi partesque litigantes in suis disputacionibus audituri essent. Ex huius ergo decreti formula GOVEANVS sibi nominavit PETRVM DANESIVM (cm) & FRANCISCVM VICOMERCATVM, Aristotelicae Philosophiae Doctorem clarissimum; RAMVS autem IACOBVM QVINTINVM, Doctorem ac iuris Canonici scientissimum, & IOANNEM BEAVMONTIVM, Medicinae Doctorem, quibus Rex suo nomine quintum adiunxit IOANNEM SALIGNACVM, eruditissimum eius temporis Theologum. (cn) His coram Censoribus magna utrimque contentione fuit disputatum, donec RAMVS ad angustias tandem redactus, ne succubuisse videretur, a Censorum iudicio provocavit: sed Regio statim iussu a Praetore Parisensi ad perficiendam disputationem coactus, resumta tela, quum nulla ratione defensionem librorum suorum absolvere posset, iudicio decessit caufsa arbitrio Iudicium submissa: quo facto quum & QVINTINVS ac BEAVMONTIVS sua sponte se munere abdicassent, nec RAMVS, licet ad eam rem invitatus, alios in eorum locum sibi sublegere vellet, tandem a tribus reliquis Iudicibus, Cal Mart. 1544. adversus RAMVM eiusque libros latum fuit iudicium decretorium (co); ipso Regis Prudentissimi edicto brevi post tempore confirmatum; (cp) quo uterque liber, & Dialecticae Institutiones & Animadversiones Aristotelicae, condemnatus est, ac graviori proposita coercitione, eorum impressione & publicatione interdictum; denique & ipsi RAMO iniunctum, ne vel in lectionibus suis libros hosce praelegere,

aut.

(cm) De P. Danesio vid. SCAEV. SAMMARTHANI Elogia pag. 17. edit. Ienae 1696.

(cn) Vnum adfuisse scribam, qui litigantium partium rationes & Iudicium sententias exciperet, scribit TALAEVS in Dedicat. Academiae suae ad Carolum, Guisae Ducem.

(co) Quod infra ex BVLAEO integrum dabitimus, Sect. III. N. 3.

(cp) Literae Regiae exhibentur apud BVLAEV Tom. vi. pag. 388. LAVNOIVM de var. Arist. Fortun. p. 206. seq. & NICERONIVM Memoir. pour servir a l'Histoire des Homm. Ill. Tom. XIIII. pag. 266. & seqq. unde integras Sect. III. N. 4. inseremus. Epochæ quæ adscripta est Donné a Paris le dixième iour de May l'an de

grace 1543. & de notre regne le trentième, tempori certe haud congrua est, quum quidem sub finem an. 1543. vel initium sequentis haec quaestio coram Censoribus Regii primum disceptari coepit: ut verior videatur epocha, quæ in versione Latina huius sententiae apud BVLAEV pag. 395. adiecta est, Lutetiae Paris. xix. Martii anno Domini 1544. & Regni nostri 30. conf. cl. L'ADVOCAT in art. P. Ramus: certe annus 1544. regni Francisci I. tricesimus fuit, siquidem Ludovico XII. successit d. xx. Ianuar. 1514. vid. ARN. FERRON. de Rebus gestis Gallor. Lib. v. edit. Paris. 1550. pag. 109.

(cq)

aut quovis alio modo evulgare liceret, neque Dialecticam aliamve Philosophiae partem publice tractare, vel ARISTOTELEM ceterosque veteris aevi scriptores probatissimos conviciis incessere; si secus faxit, poenam corpore luiturum. (cq)

Atque ita Sapientissimi Regis FRANCISCI I. decreto sua academie reddita est tranquillitas; & GOVEANVS ob defensam egregie totius universitatis caussam tantum ex hac Ramistica concertatione gloriae consecutus est, ut summus omnium ore Stagiritae Propugnator celebraretur.

¶ X. Sed maiora in dies magnum GOVEANI affectabat ingenium. Relicta sub finem an. 1544. Parisiorum academia simul cum Philosophiae professione, Tolosam se contulit, (cr) ibique studio Iurisprudentiae, maiori etiam quam antea animi contentione, diligentem adeo impendit operam, ut brevi temporis spatio per multa impedimenta eluctatus, ad interiorem Civilis Scientiae cognitionem pervenerit; eamque scriptis aliquot elegantissimis Commentariis ita postea exornavit, ut clarissimi eius aetatis iuris Interpretes CVIACIVS, DVARENVS aliique, subtilissimum GOVEANI ingenium in exponendis difficillimis iuris quaestionibus admirati, communi quasi suffragio

(cq) In narratione huius controversiae referenda sequutus fui documenta publica, integra *Sect. III. N. 2. 3. & 4.* inserenda; quorum certe maior longe apud me fides, quam AVDOMARI TALAEI; hic enim unicus, qui speciosa oratione erroneam Rami doctrinam defendere instituit, in *Dedicat. Academiae ad Carolum Lotharingium*, scribit, Ramum post editas *Animadversiones* primum ad Praetorii tribunalis capitalem contentionem per certos homines, falso académiae nomine, raptum, novique & inauditi criminis accusatum, quod Aristoteli repugnando Theologiam & artes subverteret; inde ad Curiam Parisiensem traductum; ubi quum aperiens iniquissimae fraudis invidia percipi videtur, novis Aristoteleorum artibus ad Regiam cognitionem esse disiectum: qua constitutis quinque arbitris, quorum tres Ramo infensissimi, per biduum de Dialecticae artis definitione fuisse disputatum; tandem adversariorum potentia victum iniquissimo iudicio fuisse damnum, &c. Integrum TALAEI locum LAVNOIVS *Libr. de Var. Arift. Fortun. Tom. iv. Part. I. pag. 208. seqq.* inseruit: BAELIVS in *Dict.*

*Hist. Critiq. art. Ramus, BRUCKERVS Hist. Crit. Philos. Tom. II. P. II. cap. I. §. 5.* aliique posterioris aetatis plures fidem TALAEO adiungendam putaverunt; quum mea quidem sententia eius testimonio minus credendum sit, tum quod a summo Rami amico profiscatur, quem nimirum ipse in *Dialect. Inst.* pag. b. edit. 744. col. 2. amicissimum studiorum socium & laborum confortem vocat, tum quod alii fere omnes, Thuanus, Sammarthanus, Richerus cet. licet Ramo faveant eiusque in Literarum studiis conatus collaudent, haud auspicato tamen Philosophiam tractasse affirment: vid. *supr. not. cc.*

(cr) Ut patet ex *Tractat. ad L. 3. D. imperium*, qui scriptus est Tolosae an. 1545. Errat itaque cl. L'ADVOCAT, quando scribit, hoc anno Goveanum Lutetia Burdigalam abiisse, ut commodius iuri Civ. operam daret, ibique primum in iure specimen, ad *L.* scilicet *3. D. imperium de Iurisd. omn. Iud.* edidisse, sub finem demum 1547. Tolosam profectum eaque in urbe anno sequenti Iurisprudentiam docere coepisse.

palmam ipsi deferendam censuerint. Sed de praclaris ANTONII nostri in Iuris prudentiam meritis, quum omni meo encomio longe maiora sint, praestat hoc loco silere, quam parum & minus apte dicere. (cs) Quare, ut instituti nostri rationem persequamur, GOVEANVM per varias Galliae academias, in quibus per spatium trium lustrorum, cum summo omnium applausu, magna auditorum frequentia, divinarum humanarumque rerum notitiam professus est, comitabimur.

§. XI. Quum iam an. 1545. Tolosae eximiis duobus speciminibus (ct) suam in iure Civili peritiam & leges explicandi rationem omnibus probatam dedisset, ibidem brevi post oblata ipsi fuit iuris docendi provincia, (cu) quam summa cum laude ea in urbe per quatuor annos sustinuit.

§. XII. Medio fere anno 1549. academiam Tolosanam reliquit Cadurcum evocatus, (cx) ubi brevi post adventum tempore matrimonio sibi iunxit puellam nobilitate illustrem, atque ipso aetatis flore & egregia forma pulchre dotatam, (cy) CATHA-

(cs) Goveanus quam plurimum in explicandis legum sententiis brevitatibus studebat, ratus, ut ipse profitetur, male illos docere, qui omnia docent, nec quidquam discentium ingenii relinquunt excogitandum; vid. ad fin. *Comm. ad l. 3. imperium.* Bartoli, Baldi similiusque Scriptorum auctoritate minime fretus, ipsos iuris fontes adibat ac veteres Ictos, fidissimos sibi duces, sequebatur: conf. *Epilog. ad Libr. de Iur. Accrescendi, & Dedicat. Commentar. ad l. 29. de Lib. & Postum.* Plures Antinomias, ut vocant, seu leges sibi invicem pugnantes feliciter conciliavit, praecipue in *Libris Var. Lett.* Plurima Pandectarum loca, quae castigatione egerent, ex vetustis codicibus Mstis correctis & saepe solo ingenii ductu restituit; nimirum censebat vir acri ingenio praeditus, plus iudicii rationem valere, quam indoctam librariorum manum: vid. *Praefat. in Terent. pag. 522. col. 2.* Denique ex epigraphis difficiliores legum nodos interdum explicavit, uti in *l. 6. de Vulg. & Pup. Subst.* Plura alia hic memorare in proclivi esset; sed seqq. *Sect.* doctissimorum virorum testimoniis summam Goveani eruditionem passim adstruemus.

(ct) *Commentatione scilicet ad L. 3. D. imperium de Iurisd. omn. Iudic.* quam x. Cal. Mart. Ioanni Coraso inscrisit; & libro de *Jure Accrescendi*, quem inscrisit fratri Andreae Idib. August. 1545.

(cu) Successit forte Goveanus Corasio, quippe qui hoc eodem anno Valentiam Allobrogum evocatus videtur: conf. *Vitam Corasii*, scriptore ANT. VSILIO in *Collect. BVDERI* pag. 54.

(cx) Pulcherrime hoc oppidum describit IOAN. MALVDANVS in *Epist. ad Lambinum* pag. 352. in *Collect. Epistolar. claror. viror. 10.* MICH. BRVTI edit. Lugduni apud Hered. Sebas. Gryphii an. 1561. (quae rarius obvia est edito: vid. cl. P. BVRMAN. in *nott. ad Syllog. Epist. Tom. II. pag. 119.*) Ex cit. *Epist. MALVDANI*, scripta XIII. Cal. Sextil. 1549. iam tum Goveanum Cadurcum advenisse patet: iam hic, inquit, cum Rupaeo Goveanum tuum habemus, quem heri ob os apud suos auditores in coelum PETRVCIA laudibus extulit: facile perspexisses, ea hora illum τοῦ Γούεάνου εἰς ὑπερβολὴν φραγεῖν in iure Civili.

(cy) Idib. Septembr. teste MALVDANO *Epist. seq. pag. 355.* vesperi sub noctem cum una atque altera face, sine tibiis neque dextris neque sinistris, sine solemnii pompa: & paucis interiectis iam vir est, inquit, insertum, utrum in animo habeat ad scopulos Cadurcenses consenescere, an cum Galla coniuge in Lusitaniam ad suos aliquando reverti, quid ominentur homines, tu divinaris. In nunc & me banc urbem vocantem καλλιγυναικεία ride. Exspecto autem, quos Fescenninos amico cecineris: vide inquis tu, ne tibi canantur. Mi Lambine, Di meliora monuerint, & ut ait LV-

RINAM FVRNIAM, (cz) filiam PETRI FVRNII (du FOVR) in Senatu Tolosano Praefidis. Sed iuris professionem statim post nuptias auspicatus in Cadurcensi schola, quae iam eo tempore omni doctrinarum genere florebat, (da) elegantissimam pariter ac difficillimam de Iurisdictione quaestionem fusius exposuit, eamque duobus libris adversus EGVINARIVM BARONEM explicatam sequenti anno typis imprimendam dedit: (db) qui eruditissimus Tractatus ita omnium admirationem ad se rapuit, ut, quum in aliis iuris partibus longe alios superasset GOVEANVS, in eo maxime se ipso ingeniosiorem fuisse, diserte pronunciet ANT. FABER. (dc) Alia insuper nonnulla ingenii monumenta Cadurci in lucem emisit, de quibus accuratius postea dicemus.

¶. XIII. Cadurco GOVEANVS sub finem anni 1554. Valentiam Delphinatus concessit, ibique per spatum unius tantum anni commoratus, dictavit ad Titulum de Vulgari & Pupillari substitutione. Inde Gratianopolim evocatus, magna auditorum frequentia ius Civile interpretatus est, (dd) & an. 1556. elegantissimum dictavit Commentarium ad Titulum Pandectarum ad Legem Falcidiam. Verum ex hoc tempore, ultra viginti annos in celeberrimis Galliae academiis laboriosissimo docendi munere perfunditus, paullatim tranquilliori vitae sese tradere coepit, (de) & maxima iam eru-

CILIUS hanc amentiam averruncassint: nosti illud πᾶσα γυνὴ χολός εἰσι, quod his in locis maxime experiuntur mariti. Addit idem epist. seq pag. 357. Goveanus iurat, bene solis esse maritis, sed ei non creditur; coenam is dedit nudius tertius Corasio, qui hoc cum uxore peruvenerat, Tolosam proficiscens.

(cz) Vid. Documentum N. 7.

(da) Operam simul cum Goveano in hac academia Iurisprudentiae dabat FRANCISCUS RHOALDESIVS, vir rarae doctrinae, quem impense laudat THVAN. Lib. xcvi. conf. LEICKHERVS in Nott. ad Vit. Cuiacii pag. 270. & seq. Eodem hoc tempore Cadurci vivebat P. MARTRESIVS, clarissimus caussarum forensium patronus, ad quem extat GOVEANI nostri epistola, quam vid. inter Documenta N. 5.

(db) Plura de tempore editionis huius Commentarii dicam Sect. seq.

(dc) Vid. eius Coniectur. Lib. iv. Cap. 4.

(dd) Non enim Gratianopoli, quod scribit ALLARD. in Bibl. du Dauphine pag. 118. caussarum patronum egit Goveanus, uti recte observat BAElius in Dictionar.

(de) Teste enim ANTON. LOISEL in Vita sua pag. 13. Goveanus parum legere, plurimum vero cogitare solebat, qui & scholasticas lectiones, quum oneri iam ipsi esset cathedra, aut domi lecto affixus aut in hortis suburbanis (quos ipse meminit Carm. v.) ambulans solum meditando levi opera pararet, otiosam vitam, omnibus curis vacuam, summum aestimaret bonum: addit, Goveanum liberos suos studiis nolle tradere, nisi ipsi valde cuperent; virum esse, qui se ipse magni faceret, plurimum suo ingenio confisus, opera aliorum Interpretum raro legeret, neque in eius bibliotheca calamum aut atramentum scriptorum inveniri; hominem esse dictis factisque Philosophum. Quod tamen non ita accipiendum, quasi omnino Goveanus studia reliquerit: nam & an. 1560. ibidem editit Librum Animadversionum & integrum Commentarium ad Tit. Pandectar. ad Leg. Falcid. ubi ipse pollicetur in Dedicat. ad Michaëlem Hospitalium, si quando scholae se subduxerit, quo plus ad scribendum otii esset, perfectius quid in Civili Scientia se elaboraturum.

\* \* \* \* \*

(df)

XXII. VITA ANTONII GOVEANI.

eruditionis laude potitus, pristinum scribendi commentandique ardorem haud diutius retinuit, quotidianas praelationes meditando duntaxat parare solitus. Hac in urbe GOVEANVS falsa quorundam inimicorum fama & odio suspectus fuit, quasi impias & Christiano homine indignas opiniones in vulgus disseminasset; (df) verum tantum abfuit, ut atrocissimo hoc crimine fuerit convictus, ut eodem fere hoc tempore, iure civitatis apud Gallos iam donatus, commendatione FRANCISCI LOTHARINGII, Guistae Ducis, Supremi Delphinatus Praefidis, a Rege HENRICO II. obtinuerit amplissimam in Senatu Gratianopolitano Senatoris Honorarii dignitatem. (dg)

¶. XIV. Gratianopoli iam ultra sexennium ius Romanum professus, ardente in Gallia bello, (dh) ut ab inimicorum sibi insidiis caveret GOVEANVS, cum aliis fere omnibus Professoribus Delphinatum reliquit, (di) atque ipse in Sabaudiam, tutissimum perfugium, se recepit: ubi quum Chamberii lares sibi fixisset, ut illic

bo-

(df) Nimirum CALVINVS, sive inepto Vallii Epigrammate, sive iudicij praeoccupazione a P. Ramo, summo suo amico, ipsi indita, in Tractatu de Scandalis Agrippae (quem edidit. 1551.) pag. 90. Vol. Tractatum Theologicor. edit. Genev. 1611. temere nimis Goveanum impietatis notaverat, his verbis: *Agrippam Villanovanum, Doletum & similes, vulgo notum est, tanquam Cyclopas quospidam Euangelium semper fastuose sprevisse: tandem eo prolapsi sunt amentiae & furoris, ut non modo in filium Dei execrabilis blasphemias evomerent, sed quantum ad animae vitam attinet, nihil a canibus & porcis putarent se differre: alii, ut Rabelaesus, Deperius & Goveanus, gustato Euangeli, eadem caecitate sunt percussi. Cur istud? nisi quia sacrum illud vitae aeternae pignus sacrilega ludendi aut ridendi audacia ante profanaverant.* Verum ipse SCALIGER, Calvinus alioquin amicus, immerito Goveanum notari scribit, *Calvinus, inquit, vocat eum atheum, cum non fuerit, debebat illum melius nosse.* Vid. Scaligernan. Inde postea Gratianopoli, atrocissimis quorundam inimicorum calumniis, quasi impie de rebus divinis sentiret, suspectus fuit; uti patet ex HVB. LANGVETI Epist. secret. edit. Halae Hermunduror. 1699. in 4. epist. 12. Lib. II. Ei, inquit (Cuiacio) Valentiae succedit Gribaldus, pulcrum sane par, ubi ipse & Loriotus coniuncti fuerint, & habuerint Gratianopoli vicinum Goveanum, qui utroque est longe sceleratior. & CHORIER Histoire du

Dauphiné Tom. II. pag. 112. hac de re ita scribit: *Le fameux Antoine de Govea avoit semé dans Grenoble des opinions, qui lui avoient acquis le blâme de n'avoir pas tous les sentiments qu'un Chrétien doit avoir de la Divinité.* Quod vero ALLARDVS Bibliot. du Dauphiné pag. 118. refert, Goveanum hoc crimine in iudicio accusatum apud Gordesium, Regium in Delphinatu Legatum, se ab hac infamia purgare coactum fuisse, idque praestitisse egregia oratione, quae asservata olim fuerit in bibliotheca Enemundi de Rabat, a vero longe alienum est, siquidem Gordesius sub finem demum an. 1563. in Delphinatum Legatus missus sit, quo tempore iam Goveanus in Italia degebat: plura sunt alia in ista ALLARDI narratione, quae merito carpit & refutavit solide doctiss. L'ADVOCAT ad Baelii Dictionar. art. Govea. Quidquid autem atheismi Goveano imputatum fuerit, ex calumniis & odio malevolorum quorundam hominum profectum esse, arbitror: sed non lubet diutius his immorari, latius totam quaestionem excussum modo laudatus L'ADVOCAT.

(dg) x. Cal. Ianuar. 1558. ut ostendunt Regiae literae; quas vid. infr. Sect. III. N. 6.

(dh) Anno fere 1562. quando Hugenotorum motus in Gallia coepit, ut ex THVANI Historia constat Lib. XXIX.

(di) Exceptio tantum uno, ut CHORIERIVS tradit Histoire du Dauphiné, Tom. II. pag. 112.

(dl)

honesto otio fruens liberam ab omni sollicitudine & periculo vitam transigeret, brevi post EMMANVELI PHILIBERTO, Sabaudiae Duci, innotuit. (dl) Hic post pacem Cameracensem an. 1559. in possessiones veteres restitutus, ipse Literarum amantissimus ac summus eruditorum patronus, Monte Regali splendidissimam academiam instituit, eoque doctissimos undique viros laitis stipendiis & magnis immunitatibus invitavit, (dm) quos & inter ANTONIVM nostrum; cui non tantum Cal. April. 1563. primaria iuris Civilis ac Pontificii cathedra oblata est, sed & paucis diebus post, Nonis scilicet eiusdem mensis, in Senatorium ordinem privatique Consilii Assessores a Benefico Principe est adlectus, ita ut vel Chamberii vel Augustae Taurinorum, quocumque negotia tulissent, ipsi in Senatu sententiae dicendae potestas competeret.

§. XV. In academia Montis Regalensis exposuit GOVEANVS Legem un. Cod. de eo, quod interest: ibique inter complures alios auditores habuit LUDOVICVM MORETIVM, postea temporis Subalpini Senatus Praesidem, & BERNARDINVM PENSAM, iam tum in Bononiensi academia titulo iuris Doctoris honoratum. Eadem quoque in urbe hoc anno fatis deceffit dulcissima GOVEANI coniux CATHARINA FVRNIA, splendido ac magnifico funere elata. (dn)

§. XVI. Eodem hoc anno mense Augusto aut Septembri, ab optimo Principe EMM. PHILIBERTO, commendatione uxoris MARGARITAE, (do) filiae FRANCISCI I. Galliarum Regis, ex academia in aulam vocatus libellorum sup-

plicum

(dl) Vid. Documenta var. Sect. III. N. 6. & 7.  
(dm) Vid. de academie huius institutione SAM. GVICHENON Hist. Geneal. de la Royale maison de Savoye pag. 678. edit. Lugduni 1660. ubi ad ius Civile docendum praeter Ant. Goveanum vocatos fuisse scribit, Aimandum Cravettam, Guidonem Manutium (Goveani hic sicut discipulus, uti ex SCHIFORDEGHERO constat Lib. II. Tract. 2. Quaest. 1. conf. TAISAND Vies des Jurisconsultes pag. 189.) Guidonem Pancirollum & Bernardinum Vivaldum. Omisit Iac. Menocbium, qui ut ipse testis est, ibi an. 1561. explicavit materiem expensarum: vid. Lib. II. cas. 215. de Arbitr. Iudic. & per sex annos ius Civile illic professus est, ut testatur RICCOBONVS

Lib. II. de Gymnas. Patavin. conf. MIDDEN-DORP. Academ. celebr. Lib. IV. pag. 93.

(dn) Teste TERRANEO ex domesticis familiae Goveanorum actis; unde & patere affirmat, Goveanum, laboriosissima docendi assiduitate fessum & ex viduitate moestum, animi recreationem petuisse, canibus venando, quos plures diversi generis alere consuevisset: & certe venatione se aliquando oblectasse Goveanum, ex eius Epist. 1. ad Catharin. & Epigramm. libro colligi potest.

(do) Huic iam longe antea Goveani ingenium innotuerat, nimimum quum Aristotelis caussam in academia Parisiensi adversus P. Ramum ageret.

XXIV. VITA ANTONII GOVEANI.

plicum Magister creabatur: qua in dignitate constitutus tanta cum laude muneri praefuit, ut summam fidem, integritatem ac prudentiam omnes admirarentur, atque ipse Sabaudiae Dux, ob exquisitam GOVEANI doctrinam ac prudentiam, ipsi res maximi momenti gerendas crediderit. (dp) Denique & hac in urbe ad secundas nuptias transit GOVEANVS, ducta uxore LVCRETIA GVERILLA, sorore ALEXANDRI GVERILLI, in Senatu Taurinensi Senatoris. (dq)

§. XVII. Sed vix ultra biennium in aula PHILIBERTI moratus, in gravissimum & lethalem morbum, ex immodico, ut fertur, peponum esu contractum, incidit, eoque mense Septembri an. 1565. Augustae Taurinorum, summo omnium Literatorum luctu, diem supremum obiit, (dr) natus annos sexaginta; (ds) relieto, quem ex priore uxore suscepserat, unico paternae dignitatis atque eruditionis herede MANFREDO GOVEANO. (dt)

§. XVIII. Hic filiorum ANTONII, ut videtur, natu maximus, DIVONAE CADURCORUM natus, (du) a MANFREDO de CARDALLACO,

Eleemosynario

(dp) Ut testatur TONSO in *Vita Emm. Philiberti*.

(dq) Vid. inter *Documenta varia Sect. III. N. 8.*

(dr) Vid. THVANVS Lib. XXXVIII. *Histor. sui tempor.* pag. 467. MENOCHIVS, Goveano nostro perfamiliaris *Commentarios suos in omnes recuperandae possessionis Constitutiones* editurus ex typographia Leonardi Torrentini, in *Praefatione*, scripta ex Monte Regali Pedem. x. Cal. August. 1565. post laudatos eius academie aliquot Professores, Goveani etiam, tanquam eo tempore adhuc in vivis, mentionem facit; sequenti vero anno fatis iam functum fuisse, patet ex Scto contra Montem Regalem, pro reintegrazione & manutentione studii in civitate Taurini, in quo Scto, Augustae Taurinorum dato xi. Cal. Novembr. 1566. Antonio Goveano, quippe iam defuncto, nigrum Theta, sive formula quondam apposita conspicitur, vid. *Statut. Colleg. Taurin.* pag. 141-147. teste cl. TERRANEUS: patet itaque, verissimum esse THVANI calculum. Errat procul dubio NIC. ANTONIVS, quando scribit in *Bibl. Hispan.* Goveanum superstitem adhuc fuisse 1595. usus testimonio G. ANT. THESAVRI *Libr. III. Quaest. Forens. Quaest. 19.* verum ille quidem de filio loquitur Manfredo, qui eo tempore Consiliarii munere Taurini fungebatur. Doctiss.

etiam BAELIVS expedire haec rite non potuit; deceptus a SCHOTTO, qui in *Bibl. Hispan.* tradit, Goveanum an. 1566. Gratianopoli dictasse ad Legem Falcidiam, ibidemque quatuor annis post uxorem duxisse, utrumque falsissimum.

(ds) Vid. THVAN. l. c. & VINET. *Epist. ad Schottum.* in *Bibl. Hispan.*

(dt) Ex priore uxore, Catharina du Four, nati fuere Goveano tres filii, *Manfredus*, *Petrus* (cui nomen dedit Petrus Bertrandus, Cadurcorum Episcopus, Goveani compater, uti patet ex *Dedicat. Libri Animadversionum*) & *Iametus*: plerique tamen duos tantum Goveanū filios memorant, *Manfredum* scilicet & *Petrum*; sed ANT. LOISEL in *Vita sua* pag. 13. testatur, Goveano an. 1557. fuisse tres liberos masculos, conf. *Document. Sect. III. N. 8.* Ex secunda vero uxore, Lucretia Guerilla, quam duxit Antonius Taurini, duos etiam filios progenuisse dicitur, sed de quibus, uti & de Petro & Iameto nulla supersunt monumenta, teste TERRANEUS: ut iam ipso aetatis flore mortui videantur.

(du) Non enim Taurini natus est, ut male omnino scribunt NIC. ANTONIVS & MACHADO in *Bibl. Lusitan.* Tom. III. pag. 161. sed Cadurci, uti patet ex *Carmine*, quod in eius nativitatem scripsit ANTONIVS pater: vid. *Carm. II.*

(dx)

*Eleemosynario Regio, & Cadurcensis academiae Cancellario, e sacro Baptismatis lavacro susceptus est. (dx) Hic postquam in academia Taurinensi Civili Prudentiae strenuam operam collocasset, insigni Doctoris titulo honoratus, magni parentis vestigia premens, summa eruditionis laude inclaruit, & a CAROLO EMMANVELE, Sabaudiae Duce, ob praecellentem doctrinam inter privati consilii Assessores & Senator in amplissimo Taurinensem Senatu cooptatus est. (dy) Postea an. 1591. ab eodem Sabaudiae Duce ipsi honorificentissima demandata fuit Legatio Bohemica ad RODVLPHVM II. Imperatorem Augustum. (dz) Ex matrimonio, quod cum illustri femina, CLEONORA PLAVTIASCA, CLAVDII filia, iniit, nati ipsi fuerunt tres filii. Obiit Taurini an. 1613. (ea) praeclaris aliquot monumentis, quae publici iuris fecit, immortale nomen posteritati relinquens. (eb)*

¶. XIX. MANFREDO GOVEANO fuerunt tres filii, EMMANUEL PHILBERTVS, Supremae rationum Regiarum Curiae Praeses primarius. Militaris ordinis Divum Mauritii & Lazari Magnus Cancellarius, eiusdemque ordinis Supremus Nosocomio Praefectus; ANTONIVS, nobilis CAROLI EMMANVELIS, Sabaudiae Ducis, Cubicularius & FRANCISCVS ANTONIVS, Carmaniolae urbis Praeses. (ec)

(dx) Vid. GOVEANI Dedicat. Libri Animadvers. ad P. Bertrandum.

(dy) c. ANT. THESAVRVS Quaest. Forens. Lib. III. Quaest. 19. pag. 435. edit. Genevae 1672. Manfredum vocat acutissimum & doctissimum Senatorem.

(dz) Quod, teste TERRANEO, ex Documentis quibusdam constat; praecipue ex ipsius Rodulphi diplomate, quod in gratiam Manfredi, inde iam reddituri, datum est Pragae XVI. Cal. Februar. 1592.

(ea) In sepulchrali monumento, quod ipse vivens sibi posuit, inscriptum legitur hoc epitaphium:

MANFREDVS GOVEANVS ANT. F.

Dum in vita mortem, & in morte vitam reponit, hoc facillum manibus, & sepulchrum ossibus suis & suorum, quibus neque deesse neque superesse debebat, vivens P. ut quorum vitas interiecta saecula disiungent, eorum cineres intra suos amplexus eadem urna coniungat. anno Sal. MDCV.

Vitae mors, morti gloria, gloriae divinitas nostra supervivit.

Citat hoc epitaphium FREHERVS & MACHADO ex GHILINI, ut puto, Theatro homin. Literat. Tom. I. p. 189. conf. etiam MORERI Diction. Historiq. Art. (Gouvea) Antoine.

(eb) Edita ab eo Consilia sive Responforum volumen, Notae ad Iulium Clarum, Carmina & Oratio, iussu Caroli Emmanuelis, scripta Italiaco idiomate, in obitum Philippi II. Hispaniarum Regis, quam Philippo III. Taurini Cal. Mart. 1599. inscripsit. Ad Manfredum Goveanum pertinet epistola ANT. FABRI, ubi vocatur Serenissimi Ducis Sabaudiae ab intimis consiliis & in Pedemontana Curia Senator: scripta est epistola IV. Cal. April. 1597. & legitur post libr. XII. Coniectur. FABRI. Sed in Operum edit. Lugdunensi est praetermissa.

(ec) Lectiones Taurinenses, a filio Manfredi scriptas, in quibus avum saepe laudet Antonium, citat SCHIFORDEGHERVS Lib. II. Tract. II. pag. 58. ad Commentar. Fabrian. sed quas nusquam alibi citatas inveni.



EMMANUEL PHILIBERTVS (*alii enim duo sine prole obierunt*) filios plures reliquit, *nimirum NICOLAVM, S. Germani Comitem, a quo plures quoque progeniti sunt liberi, ANTONIVS scilicet, MAVRITIUS, EMMANUEL PHILIBERTVS & FELIX AMEDEVS.* ANTONII filius DIDACVS in Taurinensi obsidione peditum Praefectus, & alius item equitum Subcenturio e vivis sublati, nullum sui nominis reliquerunt heredem. MAVRITIUS quoque & EMMANUEL PHILIBERTVS sine prole obierunt.

§. XX. FELIX AMEDEVS, filiorum NICOLAI GOVEANI, S. Germani Comitis, natu maximus, in exercitu Bavarico cataphractorum equitum Magister, fortiter pugnans in praelio Hochstettensi occubuit, & Te, Illustrissime Comes, LUDOVICE NICOLAE, (*liceat enim mibi sub finem huius Tractationis rursum te compellare*) dignissimum nobili GOVEANORVM stirpe filium & avitarum virtutum heredem reliquit, qui quum ab Augustissimo Sardiniae Rege CAROLO EMMANUELE ob praecclara nobilissimae gentis Tuae in Rempublicam merita, illustri & honorificentissimo Comitis titulo decoratus sis, id sedulo, quod egregie facis, operam navare oportet, ut illustrissimae familiae Tuae splendor & dignitas nulla parte immunitur, sed in dies magis ac magis floreat & crescat, ad seros usque transmittenda nepotes.

## SECTIO SECUNDA

### D E

Scriptis ANT. GOVEANI tam editis  
quam ineditis.

**E**xposita superiore Sectione excellentissimi Iurisconsulti nostri vita, cum primis monumenta quoque Literaria, quibus suos inter aequales summam ingenii laudem consequutus, serae posteritati nomen immortale reliquit, accuratius recensebimus,

*observato temporis ordine, quo singula in lucem sunt emissae. Qua quidem in re diligentiam nostram Historiae Literariae studiosis hanc ingratam fore confido, quum fere omnes, qui Operum GOVEANI ante me Catalogos contexuerunt, (a) primarum editionum exemplaribus destituti, commissos dudum ab aliis errores propagare necesse habuerint.*

¶. I. *Inter Opera GOVEANI Philologica primo loco sunt memoranda eius Epigrammata, (b) quorum editio prior, duobus libris, prodit Lugduni apud SEBAST. GRYPHIVM an. 1539. in 4. Dedicatio ad IACOBVM BELNAEVM scripta est Lugduni III. Cal. Mai. (c) Sed quum, incitante BELNAEO, nimium hanc editionem praecipitasset, sequenti anno, (d) plurimis emendatis, (e) typis repetita est apud eundem GRYPHIVM in 8. adiectis quatuor Epistolis ad CATHARINAM, (f) elegantissime ligato sermone perscriptis. (g)*

*Alia*

(a) Primus Operum GOVEANI Catalogum dedit GESNERVS, cuius Bibliotheca univers. quum prodierit an. 1545. Tiguri in Fol. Philologica tantum recenset & nonnulla Philosophica; quae eadem inde postea totidem fere verbis repeterunt SIMLERVS, FRISIVS & LYCOSTHENES. His ALPHONS. CIACCONVS in Bibliotheca sua, ad annum 1583. ordine alphabeticò perducta, adiunxit quaedam Iuridici argumenti, edit. Paris. cum Observationibus, DIONYS. CAMVSATI an. 1731. VAL. ANDR. TAXANDER in Catal. Claror. Hispan. Scriptor. edit. Mogunt. 1607. DRAVDIVS in Bibliotec. Clasic. NIC. ANTONIVS in Bibl. Hispan. TEISSIER, & quotquot fere vitam Goveani conscripserunt alii; sed ceteris accuratius DAVID CLEMENT Bibl. Curieus. Tom. IX. pag. 255. & seqq. edit. Lipsiae 1740. ex relationibus Mstis FR. D'OLIVEYRA.

(b) Memorat quidem ipse GOVEANVS Libr. I. Epigram. 57. Orationem suam, cui titulus Euagoras, & aliam Lib. II. Epigramm. 36. pro Ctesiphonte, quae utraque forte Avinione habita & typis impressa est, ut colligi videtur ex Epist. ad Catharin. I. vs. 61. ubi de Avinione loquens ita scribit:

*Quin etiam cupiens omni tibi parte placere,  
Ingenii coepi prodere signa mei.*

Sed GESNERVS aliquique nullam Goveani Orationum mentionem faciunt, ut certi de iis nihil affirmare liceat.

(c) NIC. ANTONIVS in Bibl. Hispan. Nov. Tom. I. pag. 79. scribit Epigrammata simul

etiam proditissimum eodem anno apud Gryphium cum POLYBII Fragmentis Historicis de Rerum formis & Romanorum praestantia in 4. verum illa quidem una eademque videtur editio. Prima haec Epigrammatum GOVEANI editio servatur in biblioteca Regia Paris. vid. Catalog. Tom. I. Litt. T. p. 419. N. 3319. memorat quoque cl. MAITTAIRE in Annal. Typograph. Catalog. Libror. ap. Sebast. Gryphium excusorum. Eamque expressit Tom. VII. in Corpor. Poëtar. Lusitanor. ANT. dos REYS.

(d) Iterata haec editio altera vice Belnaeo x. Cal. Febr. inscripta est.

(e) Vid. Epist. ad Iacobum Reginaldum Ale- niū ad fin. Epigrammatum adiecta, ubi ipse ingenuē profitetur, se frigida multa, inepta & indigna offendisse, quae nova hac editione sunt emendata, quare ab omnibus petere, ut prior paternae temeritatis poenas persolvat; VINETVS tamen aliisque, si quando GOVEANI Epigrammata citant, fere semper priorem editionem sequuntur, quin ea, licet rarissima, frequentius tamen obvia est, editione posteriore.

(f) Certe coniunctim praecedenti anno cum priore editione non videntur editae, quum & Catalog. Biblioth. Reg. & MAITTAIRE Annal. typogr. II. cc. Epigrammatum libros duos tantum memoret, neque in Corpor. Poëtar. Lusit. Epistolae compareant: inscripsit illas Ioanni Romano Cremonensi Gasalino Maioritano, quam Dedicationem brevis excipit Epistola ad Catharinam.

(g) OVIDII in primis stilum in iis imitari voluit Goveanus, vid. Epist. ad calcem adiecta,

*Alia nonnulla GOVEANI Carmina, inedita hactenus, quae beneficio illustriss. Comitis JOSEPHI de GARAMPI, Pontificis Romani Archivario, huic primum editioni accesserunt, omnia sunt posterioris temporis. (h)*

§. II. *Rarissima est omnium GOVEANI operum editio VIRGILII, quam ex castigatione eius an. 1541. in forma minore Lugduni excudit SEBAST. GRYPHIUS: eius indicium fecerunt GESNERVS & alii; (i) sed in nullis, licet diligenter quae sive rime, instructissimarum bibliothecarum Catalogis invenire licuit, plerisque etiam, qui varias VIRGILII editiones recensuere, prorsus est incognita. (l)*

§. III. *Eodem hoc anno Lugduni ex typographia SEB. GRYPHII prodiit PORPHYRII quinque vocum Isagoge ad CHRYSAORIVM, interprete ANT. GOVEANO in octavo; (m) & in lucem emissae TERENTII Comoediae, (n) a GOVEANO castigatae, in quarto; Parisiis eadem forma repetitae apud GVILL. Le BRET anno 1542. & sequenti. (o) Praefatio ad GVILL. BELLAIVM LANGEVM (p) scripta est, Lugduni Cal. April. (q) Additae sunt quatuor Commentationes, de Terentianis*

ver-

*iecta, ad Iacobum Belnaeum. eumque pulcherri-  
me expressit: eximie Epistolas Goveani laudat  
CNOBELSDORFIUS, cuius vid. Elogium Sect.  
seq. N. 6.*

(h) Scripta nimurum maximam partem Cadurci & Gratianopoli. Continentur Cod. Msto 572. Bibliothecae Regiae Suecorum in Bibl. Vatic. p. 213. nunc vero 1491. p. 213. ut supra, teste ill. GARAMPIO: ante indicaverat illa celeb. MONTFAVCON Biblioth. Bibliotecar. Ms. Nov. Tom. 1. pag. 26. col. 1.

(i) Qui GESNERI fide eam memoraverunt, uti & CIACCONVS & NIC. ANTONIVS. FABRICIVS in Bibl. Latin. Tom. 1. pag. 212. inter praecipuas Virgilii editiones, quae sine veterum Commentariis prodierunt, & hanc quoque ANT. GOVEANI editionem recenset, Lugduni 1542. (sic pro 1541. per errorem annus exprimitur) in octavo apud Seb. Gryphium. & cl. MAITTAIRE Annal. Typogr. Tom. II. Part. 2. in Catalog. libr. apud Sebast. Gryphium excusor.

(l) LIPENIVS certe in Bibl. Philosoph. ubi ad ducentas prope Virgilii antiquas editiones enumerat, REINHARDVS in Theatro Prudentiae elegantioris pag. 127. & seq. & celeberr. P. BVRMANNVS Secundus, in eximia & luculenta Praefatione, quam Virgiliana editioni

patrui sui praemisit, nullam editionis, a GOVEANO castigatae, mentionem faciunt.

(m) Citat CIACCONVS, NIC. ANTONIVS & cl. MAITTAIRE in Catalog. libr. ap. Sebast. Gryphium excusor. aliquie.

(n) Asservatur prior haec editio in biblioteca Regis Galliae, vid. Catalog. Lit. Y. Tom. 1. pag. 218. N. 657. Inter rarissimas Terentii editiones recenset MAITTAIRE in cit. Catalog. libr. ap. Gryph. excus.

(o) Non enim coniunctim omnes Comoediae editae sunt, sed anno 1542. tantum Andria cum Praefatione, in sequenti vero quinque Comoediae posteriores singulae separatim.

(p) Taurini Prorex & Regii ordinis Eques fuit: vid. de tribus fratribus Bellaiis SCAEV. SAMMARTHAN. Elogia pag. 13. & 54. de Ioachimo Bellaio, insigni Poëta Gallico, cuius Adonim GOVEANVS Latinis numeris expressit, vid. Carm. 1. mentio saepe est in Delic. Poëtar. Gallor. editis a Rainutio Ghero, sub quo ficto nomine latet Janus Gruterus. Ioanni Bellaio postea dedicavit GOVEANVS Commentar. in Epist. Ciceronis ad Attic.

(q) Plurima, quae ad instituti rationem facerent, in hac Praefatione fusius exponit GOVEANVS, unde & patet, Terentium illum ad metri leges praecipue restituisse, variis codicibus

versibus una, de Ludis Megalensibus altera, tertia de Tibiis paribus & imparibus,  
de Canticis & Diverbiis quarta. (r)

¶. IV. Sequitur GOVEANI Commentarius in M. T. CICERONIS Vatinianam  
Interrogationem, quem impressit Parisiis an. 1542. IOAN. LUDOVICVS TILE-  
TANVS in quarto: inscripsit hunc commentarium AEMYLIO FERRETTO Lute-  
tiae VI. Cal. Septembr. (r\*)

¶. V. Huius quoque videtur temporis GOVEANI nostri tractatus, cui titulus Cri-  
tica Logices pars, certans cum CICERONIS Topicis, uti a GESNERO citatur; (s)  
libellus de Conclusionibus, (t) dedicatus PETR. LUDOICO ROBERTO; cuius  
repetita prodiit editio Parisiis apud GVILL. Le BRET in quarto 1545. (u) ter-  
tium lucem vedit apud MORELLVM 1550. (x) & Commentaria in integrum ARI-  
STOTELIS Organi conversionem. (y)

¶. VI. GOVEANI Responsio pro ARISTOTELE adversus PETRI RAMI

ca-

bus quoque usum fuisse, raro tamen in *Notis*,  
quae paucae & breviores plerumque sunt, emen-  
dationum caussas reddidit. Laudat saepe GOVEA-  
NI *Terentianas castigationes* doctiss. M. ANT.  
MVRETUS in *Scholiis ad Terent.* edit. Venet.  
1566. in 8. pag. 172. ad *Act. iv. sc. i. vs. 35.*  
*Divine*, inquit, *hunc versum iam pridem resti-*  
*tuerat homo ingeniosissimus ANTONIVS GOVEA-*  
*NVS*, qui etiam si præsterea nihil præstitisset, est  
tamen, cur ei *Terentii amatores plurimum debere*  
*fateantur.*

(r) Saepius postea haec Terentii editio fuit  
repetita, aut GOVEANI saltem *notulae* aliorum  
editionibus insertae. Paris. an. 1552. in fol.  
cum variorum *Notis*, teste FABRICIO Bibl.  
Lat. Tom. 1. pag. 37. Lovanii etiam eodem  
anno in 4. quam editionem cl. L'ADVOCAT  
perperam omnino primam vocat. Paris. 1556.  
in 4. apud Thom. Richardum memoratur in *Cat-*  
*alog. Bibl. Reg. Tom. 1. Litt. T. pag. 282. n. 667.*  
*cum notis Mſta bene multis:* (quae tamen ad Go-  
veani illustrationes nihil pertinent, sed emenda-  
tiones sere continent in textum Terentii, ut ad  
ill. Meermann. scripsit doctiss. SAM. MVSGRA-  
VE) Editionem Paris. an. 1558. memorat FA-  
BRICIVS Bibl. Lat. Tom. 1. pag. 35. DRAV-  
DIVS in Bibl. Clasic. pag. 1549. praeter edit.  
1541. ap. Gryphium, memorat edd. Fran-  
confurti ap. Feyerabend 1579. & ibidem apud  
Nic. Baff 1587. & sumtibus P. Kopfii 1595. in

12. In *Catalog. Edit. Terentii*, praemissa edi-  
tioni Westerhoviana, praeter alias memoratur  
editio Paris. 1561. in 4. & Venet. apud Gry-  
phium 1565. MACHADO in Bibl. Lusitan. &  
inde MONTEYRO in *Goveani Operum Elencho*,  
praemiss. Epigrammatum editioni in Corp. Poë-  
tar. Lusitanor. scribunt, elegantissima GOVEANI  
Commentaria Mſta in *Terentium* memorari a WER-  
TINO in *Additamentis ad TRITHEMIVM de Scri-  
ptoribus Ecclesiast.* sed de quibus nihil certi liquet.

(r\*) Citat NIC. ANTON. editionem Paris.  
1545. & TERRANEVS editionem Lugd. 1553.  
ap. Ioan. Tornaeium & Guil. Gazeium.

(s) CIACCONVS etiam, NIC. ANTONIVS  
aliique citant, sed diligenter licet quaesiverim,  
nihil certi de eo constare mihi potuit.

(t) Prima editio quo anno prodierit, mihi  
non liquet, ante annum tamen 1543. editam fuisse,  
patet ex GOVEANI *Responſ. pro Aristotele* edit.  
1543. ubi iam hunc libellum ad partes citat:  
vid. pag. b. ed. 788. col. 1.

(u) Eam editionem ipse habui, sed quum li-  
ber esset exiguae tantum molis & sub finem ali-  
quot paginae desicerent, vix operaे pretium  
putavimus, mutilatum huic editioni adiungere:  
huius anni editionem citat quoque HENRY-  
SON in *Meermanni Thesauro* Tom. III. pag. 477.

(x) Tertiam hanc editionem citat MAIT-  
TAIRE in *Annal. Typogr.*

(y) Quae citat CIACCONVS & alii sine anno.  
(z)

\* \* \* \* \*

calumnias (z) *Parisiis 1543. in octavo apud SIMON. COLINAEVM.* Dedicavit bunc librum IACOBO SPIFAMIO, *Regio Consiliario & Parisiensis Gymnasii Cancellario, Lutetiae v. Cal Decembr.*

§. VII. *Antequam Lutetia abiret GOVEANVS an. 1544. edidit Commentarium in duo priores libros Epistolarum CICERONIS ad ATTICVM, (aa) quem excudit ibidem I. L. TILETANVS in quarto: eius Dedicatio ad IOAN. BELLAIVM LANGEVM, Romanae Ecclesiae Cardinalem & Parisensem Episcopum, scripta est Lutetiae Idib. Novembr. (z\*)*

§. VIII. *Sequitur Commentarius in M. T. CICERONIS Topica ad TREBATIVM, editus Parisiis apud SIMON. COLINAEVM in octavo an. 1545. Inscriptit bunc tractatum GOVEANVS Tolosae Idib. Februar. IOANNI MANSEN CALLO, Primo Tolosae Praesidi. (ab) Postea repetitus est ille Commentarius in editione Topicorum CICERONIS, quae Parisiis prodiit cum Commentariis BOETII, VISORII aliorumque 1554. in quarto apud THOM. RICHARD.*

§. IX. *Alia sunt nonnulla GOVEANI opuscula Philologica, sed minoris pleraque momenti, quippe nunquam ab ipso Auctore prelo destinata: huiusmodi sunt Annotationes in CICERONIS libros de Legibus, Parisiis apud THOMAM RICHARDVM 1553. inquarto. (ac) Eiusdem Oratio pro BALBO cum Argumentis ANT. GOVEANI Lugduni 1560. in quarto. (ad) Orator ad BRVTVM ex castigatione GOVEANI Parisiis apud MICH. de la GVIERECHE in quarto, sine anni nota. (ae) GOVEANI*

*Enar-*

(z) *De RAMI Dialecticis Institutionibus & Animadversionibus Aristotelicis superiore Sectione diximus: varias posterioris temporis utriusque RAMI libelli editiones memorat rev. NICERON Tom. XIII. pag. 290. & seq.*

(z\*) *DAV. CLEMENT. Bibl. Curieus. citat editionem, quae simul cum Annotationibus in libros de legibus prodierit, apud THOM. RICHARDVM 1543. sed vitiose ita exhibetur, loco 1553.*

(aa) *Citat saepe in his Commentariis GOVEANI Commentarium suum in CICERONIS Vatin. Interrogat. ut pateat, hos esse posterioris temporis.*

(ab) *Ad calcem huius Commentarii adiecta est GOVEANI expositio leg. imperium 3. de Iurisd. omn. Iudic. quae cum secunda sit editio,*

uti ex nonnullis additamentis patet, & infra docebimus, mihi quidem fit verosimile, *Commentarium GOVEANI ad Topica initio huius anni Tolosae quoque impressum, iterum hoc eodem anno simul cum expositione Legis imperium a Colinaeo Parisiis coniunctim fuisse editum.*

(ac) *Prima haec fuit editio, ut titulus libri docet; videntur autem illae observationes a Goveano in domesticis collegiis ante dictatae, ab inhiantibus lucro typographis, iniussu Auctoris, postea in lucem editae.*

(ad) *Memoratur in Catalog. Bibl. Hulsianae N. 6880. in Quarto.*

(ae) *Indicat Catalog. Bibl. Reg. Belles Lettres Tom. I. Litt. X. pag. 112. N. 1801. Nullae*

*Enarratio in CICERONIS Orationem pro Q. LIGARIO & pro lege Manilia: (af)*  
*et denique Tractatus GOVEANI de Praetoribus & Propraetoribus. (ag)*

§. X. Pergo cum maxime ad opera Iuridica, quorum certiora plerumque sunt editionum indicia. Anno 1545. in lucem emisit GOVEANVS brevem Commentationem ad L. 3. imperium, de Iurisdic<sup>t</sup>. omn. Iud. (ah) quam Tolosae x. Cal. Mart. inscriptam IOANNI CORASO, (ai) ibidem impressit IOAN. ROGERIVS, in quarto, prope scholas Iuris. Iterata buius libelli prodiit editio hoc eodem anno Parisiis, in octavo, apud SIM. COLINAEV<sup>M</sup>, adiecta Commentario in CICERONIS Topica, (al) a priore editione in eo tantum diversa, quod aliquot veterum Scriptorum locis adauicta sit. Quantum ad ipsum Tractatum attinet, breviter, sed eleganter Goveanus eo legem VLPIANI exposuit, & erudite materiam de Iurisdictione illustravit. (am)

§. XI.

iae tamen additae sunt *notae*, imo ne *Praefatio* quidem, textus tantum Ciceronis a GOVEANO est emendatus, ut ad ill. Meermannum scripsit doctiss. SAM. MVSGRAVE.

(af) Vid. NIC. ANTONIVS Bibl. Hispan. Nov. Tom. 1. pag. 98. FRISIVS & DRAVDIVS in Bibl. Classic. pag. 1446. in bibliotheca Caesarea Viennensi superesse scribunt GOVEANI in varias CICERONIS Orationes Commentaria M<sup>st</sup>a sub titulo *Orationum CICERONIS Analysis*. Cum primis tamen nullum in bibliotheca Imp. GOVEANI librum M<sup>st</sup>um reperiri, testatus est cl. AEL. FRANCISC. KOLLAR in literis ad ill. Meermann. In Catalogo Bibl. Bodleian. K. 6. art. 14. memoratur GOVEANI Commentarius in aliquot CICERONIS Orationes editus Basileae 1553.

(ag) Memorat hunc GOVEANI Tractatum SCHOTTVS in Bibl. Hispan. ex eo postea alii; verum ipse nusquam, quod Schottus affirmat, in Operibus GOVEANI ad partes citatum offendit. Agit quidem GOVEANVS sub finem Comm. ad l. 3. D. imperium de Praetoribus & Propraetoribus, ibique citat *Notas in CICERONIS Vaticanian. Interrogat.* (vid. pag. h. ed. 354.) ubi de iis nonnulla observat; sed integrum Tractatum de hoc Magistratu scripsisse, persuaderi vix poterit.

(ah) Rarissima est prima haec editio, in omnibus GOVEANI Operum collectionibus, praeterquam in Neapolitana an. 1696. desiderata; ci-

tatur ab eximio viro GREG. MAIANSIO Lib. v. Epistolar. pag. 263. cuius etiam beneficio in nostra editione repetita est.

(ai) Ex hac *Dedicatione* ut & *Dedicationibus* Commentarii in *Topica CICERONIS* & *libri de iure Accrescendi* an 1545. clarissime patet, Goveanum hoc anno Tolosae degisse, non Burdigalae, ubi doctiss. L'ADVOCAT ad an. usque 1547. mansisse putabat, deceptus a VINETO, qui in *Epist. ad Schott.* inserta eius Bibl. Hispan. pag. 475. scribit, an. 1542. Lutetiae se primum Ant. Goveanum vidisse, & postea iterum Burdigalae apud fratrem, ibique an. 1547. quum in Lusitaniam cum Andrea Goveano abiaret, Antonium reliquisse. Sed errat procul dubio VINETVS, & alios secum in errorem abduxit; fieri enim potest, ut Goveanus aliquando hoc tempore fratrem, cuius erat amansissimus, Burdigalae inviserit, eaque occasione ipsum viderit Vinetus, sed domicilium certe habuit Tolosae.

(al) In fine legitur haec epigraphe: *Impimebat Simon Colinaeus Reginaldo Calderio commoranti e regione gymnasii Bellovacensis in aedibus eiusdem Colinaci sub sole aureo.*

(am) ANT. QVINTANADVEGNAS in Praefat. de Iurisd. & Imperio edit. Matriti 1598. pag. 212. in Thesaur. Meermann. Tom. II. diligentibus apprime & eruditas vocat GOVEANI ad Vlpianum elucubrationes.

§. XI. Eiusdem anni est prima editio libri de Iure Accrescendi, Tolosae in quarto apud GVIDONEM a BOVDEVILLE, quae rarissima editio, omnibus fere ignorata, beneficio summi MAIANSII huic nostrae Collectioni accessit. (an) Dedicavit hunc libellum GOVEANVS fratri ANDREAE, Tolosae Idibus Augusti. (ao) Ad finem breviter respondet illis, qui ipsi vitio verterent, quod praepropere nimis & praelestinate ac sine duce BARTOLO scriberet, (ao\*) ibique eleganter studiorum suorum rationem exponit. Iterata prodiit editio an. 1549. (ap) Tertia an. 1554. Tolosae in quarto ex prelo GVID. BOVDEVILLAEI, (aq) utraque a prima editione maxime diversa. Tandem sub annum 1560. in libro Animadversionum GOVEANVS banc de iure Accrescendi quaestionem denuo pertractavit, ubi in expositione leg. 89. de Leg. III. a priore sententia multum abit. (ar)

§. XII. Sequuntur libri de Iurisdictione, de quibus accuratius paullo dicendum.

Ce-

(an) Nusquam prima haec editio memoratur, praeterquam in *Epistol. MAIANSII Lib. v. p. 262.* Ex eius itaque ignorantie est, quod cl. L'ADVOCAT in *Obs. Crit. ad Dict. Baelii* putaverit, anno demum 1549. inscriptum hunc esse librum Andreae Goveano, sequutus SCHOTTVM in *Bibl. Hispan.* quum tamen certissime constet, Andream 1548. Conimbricae diem iam supremum obiisse.

(ao) Anno 1545. ibique Andream vocat *natura atque animo fratrem, beneficiis parentem.*

(ao\*) Impugnasse videtur Goveanum I. SAXONIVS HATTESTEDIVS pro *Glossis Accurianis* & Bartoli &c. edit. Basil. 1548. in octav.

(ap) Vti patet ex epocha, in *Collectione Oper. Iurid.* an. 1564. adiecta: colligitur etiam ex SCHOTTO, qui in *Bibl. Hispan.* scribit, GOVEANVM an. 1555. scripsisse ad *Tit. de Vulg.* & *Pupill. Subst.* & Tolosae sexto ante anno edidisse librum de *iure Accrescendi*. conf. HOTO-MANNI *Censur.* in *Anti-Tribonian.* not. seq. ar. ubi quum dicit Goveanum post decennium librum suum retractasse, in libr. *Animadvers.* edit. 1560. editionen an. 1549. innuere videtur.

(aq) Tertia haec editio ad edit. an. 1549. videtur expressa. Editionem Wormatiae an. 1611. in 8. ap. *Wilhel. Cnitellum* citat DRAVDIVS *Bibl. Class.* pag. 768. FRANC. DVARENVS in *Dedicat. Libr. de iure Accrescendi*, data Biturig. 1555. scribit, Goveanum in hoc Tractatu ele-

gantia & concinnitate omnes superasse, qui ante de hac quaestione scripserunt: vid. OPERDVARENVS editio Aureliae Allobrog. 1608. pag. 257. ALEXANDER POLITVS de *Patr. in testam. cond. potest. Lib. IV. Cap. 2.* insert. *Thesaur. Meermann. Tom. II. pag. 305. doctum* & elegantem vocat libellum; eximie quoque laudat ANT. FABER in *libr. de Errorib. Pragmat. variis locis.*

(ar) Vid. pag. b. ed. 336. & seq. Non praetermittenda est HOTOMANNI censura de hac Goveani retractatione in *Anti-Tribonian* scripto 1567. Cap. VII. ubi duorum, inquit, famosissimorum & celeberrimorum scriptorum FRANC. DVARENVS & ANT. GOVEANI de hac materia libri scripti & vulgati plane referti sunt istiusmodi quaestionibus, quae melius decerent bonum Grammaticum, quam Philosophum Politicum de ratione & aequitate loquenter, qualis esse debet Ictus. Atque hoc loco factum GOVEANI notandum est, qui in publicum edito libro, de quo diximus, postquam DVARENVS item ea de re scripserat, sed prorsus aliter, quam ipse, GOVEANVS post decennium circiter librum suum retractavit, his verbis in Praefatione Operis usus: *Sententiam huius legis, ut ante me fortasse nemo, ita neque ante hunc diem ego intellexi.* Non tamen universum librum retractavit Goveanus, sed expositionem tantum legis 89. de Legat. III. immerito ergo notatus ab HOTOMANNI.

(as)

Celebris illa & difficilis iuris quaestio hoc tempore inter viros doctos saepius disputata est: (as) eam GOVEANVS quoque post alios in *Commentatione Legis imperium* an. 1545. attigerat; diversas omnium sententias acriori examini subiecit EGVINAR. BARO, (at) eoque brevem etiam GOVEANI expositionem taxaverat; hic ergo laceffitus annis duobus post imprimendos dedit duos adversus EGVIN. BARONEM libros de Iurisdictione, inscriptos PERTO CASTELLANO, Episcopo Matisconensi & Magno Galliae Cancellario, Non. Febr. 1550. (au) prodierunt Tolosae apud IOAN. MOLINERIVM 1551. Priore libro GOVEANVS refutat BARONIS opinionem, posteriore vero denuo erudite & eleganter universam quaestionem pertractat. (ax)

Contra

(as) Post BARTOLI, ACCVRSII ad Rubr. D. b. t. & ALCIATI Lib. II. Paradox. Cap. 1. seqq. opiniones IOAN. LONGOVALLIUS hanc quaestionem pertractavit in *Declaratione leg. imperium* edit. Paris. apud Dionys. Ianotium 1539. Longovallium refutavit IOAN GILLOTVS editis duobus libris de *Iurisdic.* & *imperio* Paris. apud Olivar. Mullardum an. 1538. Contra Gilotti opinionem insurrexit PETR. LORIOTVS in *Tract. II. de iuris Apicibus* edit. Lugduni ap. Sebast. Gryphium 1545. eodem anno GOVEANVS explicationem legis imperium Tolosae in lucem emisit: denique, ut alios plures taceam, FRANC. DVARENVS Lib. I. Cap. 50. & 53. *Disputat. Anniversar. script.* 1547. Horum omnium aliorumque sententias EGVINAR. BARO sub examen revocavit Lib. I. *Quaest. publice tractat.* edit. 1548. Postea temporis eadem haec quaestio ab aliis saepe fuit agitata: conf. ill. MEERMAN Praefat. Tom. II. *Thesaur. Iur.* Nec dubitem, quin plurima adhuc in eleganti hac quaestione pertractanda restent: certe in *Diss. cl. G. NOODTII de Iurisdic. & imper.* multa parum vere & accurate dicta esse, censet celeb. I. A. ERNESTI in *Clav. Ciceron. doc. Iurisdic.*

(at) Baronis laudes memorantur in *Carmine*, quod legitur in *Parergis cl. CONRADI*: fuit certe Baro Ictus haud incelebris, & non mediocrem sui famam excitaverat, sed post fatalis eius nomen obscurum & scripta paene hominum memoria exciderunt, teste THVANO Lib. XXIII.

(au) Diem supremum obiit Eguin. Baro II. Cal. Septembr. 1550. Libri autem GOVEANI nostri prodierunt demum mense Septemb. 1551. ut ad calcem editionis primae exprimitur; ne ergo mortuo leoni insultare videretur Goveanus, aut cum larvis luctari voluisse, Typogra-

plus monuit, hunc libellum sex ante Baronis obitum menses sibi ab Auctore traditum fuisse, sed quo nitidior prodiret haec editio, tantum temporis praeteriisse, ut interea aliunde meliores typi & solida magis charta arcesseretur. Veram autem esse scripti huius Tractatus epocham, quae in *Dedicat.* additur Non Febr. 1550. patet ex *Epist. MALVDANI ad D. Lambinum* inter *Epist. Claror. Viror. IO. MICH. BRVTI* pag. 364. Goveanus, inquit, edet quam primum libros de *Iurisdictione*, emetur aſſe, quod vobis aureo vendebatur olim: scripta fuit illa epistola Cadurci XVIII. Cal. Mai. omisso anno, quem tamen 1550. fuisse facile colligere datur ex verbis eiusdem *Epistolae* sequentibus: *Foedus initum esse cum Britanno a buccinatore publico hic conclamatum est.* Innuit pacem inter Eduardum IV. Angliae, & Henricum II. Galliae Reges initam XXIII. Mart. 1550. vid. RAPIN. *Histoir. de Angleterr. Liv. XVI.*

(ax) Adiungam virorum doctorum testimonia de libris hisce ANT. GOVEANI. ANT. FABER in *Coniectur. Lib. IV. Cap. 4. In his*, inquit, *Commentariis omnia, quae ad tractatum de Iurisdictione & imperio pertinent, a veteribus omnibus ignorata, tam dilucide vere ac eleganter explicantur, ut magnus ille vir, quum in aliis iuris partibus longe alios superasset, tum in eo maxime tractatu se ipso ingeniosorem fuisse, videatur.* SCHIFORDEGHERVS in *Epist. Dedicato. Lib. II. ad Commentar. Fabrian.* acriter in Pragmaticos invectus, qui ex nobilissimo iuris tractatu de *Iurisdictione* Goveanum aliosque incusarent, quasi hodiernum Iurisdictionis statum veteri decempeda dimensi fuissent, non culpandum censet Goveanum, quippe cui unica cura fuerit, Iurisdictionem secundum iuris

Ro-

*Contra GOVEANVM postea insurrexit EDVARDVS HENRYSONVS, patria Scotus, BARONIS discipulus, editis Lutetiae apud VINC. SERTENAS 1555. in octavo duobus libris pro EGVINAR. BARONE adversus ANT. GOVEANVM; sed Tractatus hic HENRYSONI, ut optime censuit ill. MEERMANNVS, (ay) tot conviciis & contumeliis repletus est, ut dubium non sit, quin eius Auctor in legem Corneliam inciderit, maxime quum atrocior iniuria censi debeat ex eo, quod commissa fuerit in eximium Iurisconsultum.*

§. XIII. *Edidit GOVEANVS anno 1534. Commentarium ad Leg. Gallus 29. de Liberis & Postumis. Tolosae apud GVID. a BOVDEVILLE in quarto. Scripta est Dedicatio PETRO BERTRANDO, Abati Grandisylvae Idib. Augusti. (az) Eandem legem postea rursum pertractavit Libro Animadversionum, anno 1560.*

§. XIV. *Eiusdem anni est GOVEANI liber de Vulgari & Pupillari Substitutione Tolosae ex eiusdem BOVDEVILLAEI typographia in quarto editus, quem dedicavit MANFREDO de CARDALLACO, Eleemosynario Regio & Cadurcensis académiae Cancellario, Idibus Augusti. (ba) Integrum Commentarium ad Titulum de*

Vul-

Romani intelligentiam explicare, *in qua re, addit, multum debemus Goveano, cum sine illo foret, ut plurima ignoraremus, quae ad Iurisdictionem Romani iuris pertinent; quorum tamen cognitione ad alia iuris capita, quae confinem inter se tractationem habent, quasi manu ducimur.* ANT. QVINTANA DVEGNAS in *Libro de Iurisdictione & imperio pag. 243. Thesaur. Iur. MEERMANNI Tom. II.* testatur, se de hoc arguento nihil eruditius, nihil cultius atque floridius legisse GOVEANI Commentariis, qui a facundia tantum potuerit, ut efficerit virtute orationis, Eguinorium Baronem in eorum numero, qui iure nutantur, ab omnibus reponi; & multa Goveanus notat, quae si conceptis verbis rogaretur, ex animi sui sententia se non eloqui, non negaret, quin ipse principio prædicat, admonere hominem voluisse, quam facile quis in opere alieno ingeniosus videatur, &c. Porro variis in locis QVINTANA DVEGNAS libros GOVEANI de Iurisdictione laudat in seqq. Capp.

(ay) *Praefat. Thesaur. Tom. III. in quo & integer HENRYSONI Tractatus est récusus. pag. 452. taxat Goveani disputationem cum P. RAMO, ibique bimestrem vocat Dialecticum; pag. 454. in med. quod in Grammaticorum inceptis*

bona vitae parte transfacta, sero nimis ad Iurisprudentiam venerit. pag. 460. vocat Stertinum, alibi hominem levem, Antiphontem Geometrum, Foveanum; & sic singulis fere periodis atram billem in optimum Ictum evomit.

(az) Quum autem GOVEANVS hunc Commentarium dedicaverit Idib. Augusti, & editionem absolverit Boudevillaeus mense Maio 1554. ut ad calcem additur, videri posset priorem quoque huius tractatus fuisse editionem, sed de ea nihil liquet. Scribit in Dedicat. GOVEANVS lacestitus a BOETIO EPONE: & vero quid ad nos, si quid Accursius, Bartolus, Baldus Iasonque peccarunt, ut de aliis taceam minorum veluti gentium Interpretibus, qui ut a nobis semel nominarentur, centies mori voluissent. Eponis discipulus quidam GILKENIVS postea præceptorem defendit, & multis verborum contumeliis in Goveanum invehitur: vid. SCHIFORDEGH. Lib. III. Tract. 16. init. pag. 193. Laudat hunc GOVEANI Commentar. cl. van ECK in Diff. de Crucib. Ictor. Cap. VII. edit. Lugd. Batav. 1682.

(ba) Absolvit editionem Boudevillaeus, teste epigraphe, mense Martio 1554. ut & huius libri anterior fuisse videatur editio.

(bb)

Vulgari & Pupillari Substitutione anno 1555. Valentiae Delphinatus dictavit; eumque Gratianopoli nuncupavit an. 1556. IOANNI TRUCHIO, Delphinatus Praefidi.

§. XV. Quantum ad GOVEANI libros Variarum Lectionum attinet, non simul certe coniunctim primum editi sunt. Quatuor priora Capita Tolosae lucem adspexerunt ex prelo IOAN. de FLEURS in quarto 1552. (bb) duobus annis post Tolosae apud GVID. BOUDEVILLEVM Liber primus prodiit, (bc) dedicatus IACOBO FABRO, Parisensi Medico & Archidiacono Montis Albani, Cadurci Cal. Ianuar. Liber secundus ad GVIL. de la CHESNAYE, Consiliarium in Consilio Parisensi, incertum est, quo anno primum editus. (bd) His libris GOVEANVS ingeniose plurimas leges, quae sibi pugnare videbantur, conciliavit. (be)

§. XVI. Gratianopoli anno 1556. dictavit GOVEANVS ad Titulum Pandectarum ad Legem Falcidiam. Sed Commentarium ad leges tantum decem priores hoc eodem anno PETRO BUCHERO, Iurisconsulto & academiae Gratianopolitanae restitutori, inscriptum Gratianopoli VIII. Cal. Februar. (bf) Lugduni impressit GRYPHIVS in quarto: quatuor annis post integrum Commentarium in lucem emisit, eumque dedicavit MICHAELI HOSPITALIO, Galliae Cancellario, Gratianopoli Idib. Mart. 1560. (bg)

§. XVII. Postremus Iuridicorum operum, quae quidem lusi exposita sunt, tracta-

(bb) Editio illa quatuor priorum Capitum memoratur in Catalog. Bibl. Regiae Iuridic. Tom. I. sive E. pag. 148. N. 2292. Quatuor illa priora Capita cum editione an. 1554. plane convenient, ut literis ad Meermannum datis significavit SAM. MVS GRAVE.

(bc) Plura in Operum Collectione hoc primo libro leguntur, quae a Tolosana editione sunt diversa, ut integrum Cap. 3. ad §. Cato. I. eadem de V. O. omissum est & alia plura, quae in nostra editione supplevimus.

(bd) Liber secundus obvius tantum in Operum Collectione, neque Dedicationi epocha adscripta est, ut quo anno primum prodierit, sciri plane nequeat, quum & nusquam prima eius editio recensetur. Libri hi Var. Lett. prodierunt etiam una cum VAONII VACVNA, ANT. CONTII, IACOBI RAEVARDI, RAI-

NALDI CORSI, NICOLAI BELLONI similibusque monumentis, Coloniae apud Gymnicum 1575. quae editio memoratur etiam in Catalog. Bibl. Bodleian & alia Venetiis. 1585.

(be) Vid. M. LYCLAMA in Membran. ubi saepe ad partes citat GOVEANI libros Var. Lett. BARTHIVS ad STATII Thebaid. IV. vs. 155. pag. 950. citans Goveani libros Var. Lett. ipsum inter eruditissimos homines ponit.

(bf) Vbi in Dedicat. hunc Commentarium vocat primas suas Gratianopolitanas paelectiones. SCHOTTVS scribit Gratianopoli Goveanum ad Legem Falcidiam dictavisse an. 1566. sed errore, ut puto, typographi pro 1556.

(bg) Vbi editus primum fuerit iste Commentarius, incertum. Explicatio x. priorum legum in plerisque fere congruit cum editione Gryphii an. 1556.

tus est GOVEANI liber Animadversionum, quem PETRO BERTRANDO Cadurcorum Episcopo nuncupavit, Gratianopoli Idib. Mart. Continet in primis repetitam explicationem legis Gallus Aquilius 29. de Lib. & Postum.

§. XVIII. Praeter varia iuris Civilis opuscula, quae hactenus memoravimus, alia nonnulla Auctorem nostrum parata habuisse, constat, sed nunquam edita sunt. Ipse variis in locis citat Commentarium ad Senatusconsultum Trebellianum. (bh) Commentarium de Actionibus, quem brevi se editurum alicubi promittit; (bi) de Usucaptionibus (bl) & de Servitutibus. (bm)

§. XIX. Silentio praeteriri non debet, quod GOVEANO attribuunt quidam, opus Poeticum, inscriptum Decimas Castellanas, charactere Gothicō impressum in quarto, absque anni nota, impressionis loco & typografi nomine. Cuius libri argumentum est de sceleratissimo Hispano urbis Valenciae, qui occiso patre, avunculo & cognata, & dissecto matris sinu, fulmine ictus misere vitam finivit. (bn) Sed vix verosimile videtur, opus illud nostro GOVEANO esse adscribendum. (bo)

§. XX.

(bh) LIPENIVS in Bibl. Iurid. hunc Commentarium an. 1599. editum fuisse in Collectio- ne operum Iurid. Lugdini memorat, sed male omnino; luculentam eius mentionem facit SCHIFORDEGHERVS ad Commentar. Fabrian. Lib. II. Tract. 2. edit. in Nobili Oppenheimio 1610. pag. 38. & seq. ubi scribit, Antonium Fabrum hunc GOVEANI Commentarium vidisse apud praceptorum suum Manutium, magnum Goveani discipulum: Quidquid sit, inquit, si teneat desiderio, videndi Commentaria GOVEANI ad Sctum Trebellianum, non erit ista cupiditas vituperanda, maxime cum ipse Goveanus fateatur, se ad Tit. illum D. scripsisse, eiusque Commentarios viderit Faber noster, apud praceptorum suum Manutium, magnum Goveani discipulum, necdum illos intercidisse constet. Proferantur igitur haec GOVEANI Commentaria in lucem, nec soli tanto thesauro, ut dracones, insideant, quicumque ea sunt adepti; quod vel unus Goveani nepos praestare potest, te Manfredi Goveani filium appello, qui cum summa eruditione in Lecti- nibus tuis Taurinensis toties avum tuum laudas, ne nobis diutius tantam Iurisprudentiae usuram subtrabas, & vel tuo exemplo doces, quantus vir avus tuus in Iurisprudentia fuerit. Sin vero illi verentur, ne postumo opere magnam Goveani famam traducant, sit ita, & cedamus, vel eo ma-

gis, quod omnem mibi aviditatem explere potuit Faber noster, qui in posterioribus cogitationibus a Goveano discessit, aliquamque Juliani sententiam, quam quae a Goveano accepta fuit, perspicue tradidit.

(bi) Vid. Lib. II. de Iurisdic. pag. 38. col. 1. & 2. in quo Commentar. explicavit leg. 5. si mensur fals. mod. dix. vid. ibid. & pag. 97. & 239.

(bl) Vid. Commentar. ad Leg. Falcid. pag. 253.

(bm) Citat GOVEANVS Lib. I. Var. Lect. Cap. IX. pag. 189.

(bn) Opus illud omnino incognitum primus memoravit FRANC da CRVZ, Soc. Iesu, in collectaneis suis ad Bibliothecam Lusitanam conscribendam paratis, quae citat doctiss. BARBOSA MACHADO Bibl. Lufitan. art. Ant. de Gouvea; & inde D'OLIVEYRA in Notis ad DAV. CLEMENT Bibl. Curieus. Tom. IX. pag. 256. seq.

(bo) D'OLIVEYRA Goveanum eius Poëmatis auctorem facit, quasi non alii eo tempore fuerint eiusdem nominis: sed fallitur, nam fuere plures, ut ex BVLAEO Hist. universit. Paris. supr. Sect. I. not. (q) diximus, & inter illos D. Antonius de Gouvea, Eburenensis: quem & commemorat NIC. ANTONIVS Bibl. Hisp. & BARB. MACHADO Bibl. Lufit. hic plura sermone vernaculo

§. XX. Superest, ut paucula de variis Operum GOVEANI Iuridicorum Collectiōnibus dicamus. Prima est, quae prodiit Lugduni apud ANTON. VINCENTIUM in fol. 1562. (bp) eadem forma duobus annis post ibidem repetita. (bq) Pro Collectione etiam haberi potest editio quatuor Iuridicorum Tractatuum de Iurisdictione adversus EGVIN. BARONEM, de iure Accrescendi, ad legem Gallus 29. de Liber. & Postum. & Libr. Animadversionum Ienae 1596. in octavo, cura CHRISTOPHORI HENSCHERI. (br) Quarta editio collectionis operum Iuridicorum impressa rursum est Lugduni 1599. (bs) in fol. & octavo. Quinta ibid. eadem forma anno 1622. (bt) quae cum editione an. 1564. congruunt: ac denique cura Anonymi 1696. in octavo Neapoli apud NICOL. LAVNO, cui brevis praemissa est vitae GOVEANI descriptio & addita Commentatio ad L. 3. D. imperium de Iurisdict. omn. Iudicum. Sed negligenter nimis praetermissae sunt quaedam Auctoris Dedications.

## SECTIO

paculo scripsit, quae ibid recensentur & in Bibl. Cur. D A V. CLEMENT. Fuit & alias Antonius Goveanus, sed posterioris temporis, cuius exstat liber, cui titulus *Innocentia vietrix: sive sententia Comitiorum imperii Sinici pro innocentia Christianae Religionis*, lata iuridice per annum 1669. & iussu R. P. ANTONII de GOVEA Soc. Ies. ibid. V. Provincialis Sinico Latine exposita. Impres. in Quām Cheum metropoli provinciae Quām tum in regno Persarum anno Salutis 1671. in fol. characteribus Sinicis, addita Latina versione, in charta serica. Servat hunc librum in instructissima sua bibliotheca vir. ill. Ger. Meermannus. Plures alii fuere Goveani, quos accurate in Bibl. Lusitan. cl. MACHADO memorat, quos hic singulos recensere non lubet. Illud satis hinc colligere datur, *Decimas Castellanas* nullo vel verisimilitudinis argumento nostro Antonio posse attribui.

(bp) Primam hanc editionem citant MACHADO & alii.

(bq) Crediderim, ad primam editionem hanc esse expressam: ordo Tractatuum in ea hic est. 1. de Iurisdictione libri duo: 2. ad L. Gallus Aquilius liber unus. 3. Commentarii in Tit. de Vulg. & Pupill. Subst. Dig. 4. de iure Accrescendi liber unus. 5. Commentarii in Tit. ad Legem Falcidiam. 6. Lectionum Variar. Iur. Civ. libri duo. 7. Animadversionum liber unus. An vero GOVEANVS ipse his operum suorum collectionibus operam adhibuerit, mihi non constat: variis tamen in locis a primitivis editionibus differunt.

(br) Qui & remissiones ad alios iuris Interpretes & notulas quasdam adiecit; sed quibus facile careri potest.

(bs) Citat NIC. ANTON. Bibl. Lusitan. & alii.

(bt) A pluribus quoque memoratur.



## SECTIO TERTIA

### CONTINENS

Elogia Selecta & documenta varia, quae  
ad vitam spectant

### ANTONII GOVEANI.

#### N. I.

**I**ACOBVS AVGVSTVS THVANVS Historiar. sui temporis Lib. XXXVIII. Edi-  
tion. Londinens. 1732. Tom. II. pag. 467. ad annum 1565.

*Paulo post (obitum scilicet HADRIANI TVRNEBI) mense Septembri ANTO-  
NIUS GOVEANVS debitum naturae solvit. Is genere Lusitanus, sed adoptione  
(sicut ipse, quo erat animi candore, palam profitebatur) Gallus, cum puer & lite-  
rarum rudis ab ANDREA GOVEANO patruo (a) in Galliam abductus esset, tan-  
ta felicitate in Humanioribus studiis ingenium exercuit, ut nemo purius Latine scri-  
beret, nemo versus elegantius pangeret: in Philosophia vero Aristotelica tantum  
profecit, ut eius patrocinium, iam tum in illa iuvenili aetate, (b) contra PETRVM  
RAMVM, eius importunum oppugnatorem, magna cum laude suscepit. Postea,  
quasi omnium scientiarum aequa capax ingenium illius esset, quodque singuli in singu-  
lis, ipse unus in omnibus praestare posset, ab AEMYLIO FERRETTO, qui Avi-  
nione ius Civile docebat, cum Lugduni privatis studiis intentus desideret, (c) ad  
illius perplexae scientiae professionem evocatus est: in qua rursum exigo tempore  
tantos progressus fecit, rationem veram enodandarum ex antiquitate spinosarum  
iuris quaestionum statim animo complexus, ut IACOBVS CVIACIVS, cum Tolosae  
ante undecim annos in VLPIANI Titulos scriberet, (d) iam tum testatum relique-  
rit,*

---

(a) Quem THVANVS hic *Andream patruum*  
dicit, fuit *Jacobus avunculus*, ut Sect. I. do-  
cuimus not. l.

(b) Non quidem adeo iuvenili, nam iuxta  
ipsius THVANI calculum Goveanus eo tempo-  
re natus fuit annos triginta & octo; conf. cl.  
L'ADVOCAT ad *Diction. Baelii.*

(c) Hic quoque minus accurate temporum  
articulos observavit THVANVS: vid. quae su-  
pra notavimus Sect. I. not. br.

(d) Nimis 1554. quae prima est CVIACIVS  
in VLPIANI Titulos XXXIX. editio, im-  
pressa Tolosae, anno sequenti Parisis repetita  
& saepius postea.

rit, GOVEANVM ex omnibus iuris Iustiniane Interpretibus, quotquot sunt aut fuere, unum esse, cui, si quaeratur, quis excellat, palma deferenda sit. Certe ex CVIACIO ipso, cum Valentiae ei operam navarem & postea saepius audivi, ita se de GOVEANO semper sensisse; & laudabili aemulatione tum veritum esse, ne is speratam in ea professione gloriam, quam affiduo studio & longa vita omnium consensu postea meruit, sibi praeriperet. (e) Igitur GOVEANVS Tolosae primum, dein Divonae Cadurcorum, postea Valentiae & Gratianopoli ius Civile magna auditorum frequentia professus est: (f) & ardente apud nos bello Gallia, quam summopere dilexerat, in Italiam pulsus & in aula PHILIBERTI, Sabaudiae Ducis, MARGARITAE commendatione honestum otium nacltus: nam & in privatum Principis consilium Senator cooptatus est: morbo ex immodico, ut fertur, peponum esu contracto, Augustae Taurinorum decepsit: unus rara hoc aevo gloria communi doctorum suffragio hoc adsequutus, ut & Poëta elegantissimus, & summus Philosophus, & praestantissimus iuris Interpres simul haberetur; quod coelo Gallico, in quo a teneris probe institutus fuerat, vir gratus acceptum referri volebat.

N. II. Idem THVANVS Lib. LXXVI. Tom. IV. pag. 99.

Et sane memini PETRVM RONSARDVM, (g) virum acerrimi iudicii, qui licet in dispari fortuna constitutus, tota vita scholastico otio oblectatus fuerat, cum de BVCHANANO, HADR. TVRNEBO, ANT. GOVEANO, M. ANT. MVRETO, quibuscum arcta amicitia coniunctus fuerat, verba faceret, dicere solitum, illos homines nihil paedagogicae praeter togam & pileum habuisse, & tamen de vulgo paedagogorum sic censere, nunquam incorrigibilis ineptiae, ex paedagogica contractae, characterem vel longissimi aevi curriculo deleri posse.

N. III.

(e) Quod idem confirmat quoque PAPYR. MASSON in *Vita Cuiacii* pag. 279. in *Collectione LEICKHERI*. Adolescens Antonii Goveani Iurisconsulti ingenium admirabatur; sed diligentia hominis notata nihil deterritus est; deterritum iri se dicens a iure tractando, si homo Lusitanus tanto ingenio tamque subtili, labores Civilium studiorum serio suscipere voluisset.

(f) BAYLE *Diction. Hist. Crit.* Thuanum non intellexit, quum putare videatur, Goveanum Avinione Iurisprudentiam quoque profes-

sum fuisse: vid. doctiss. L'ADVOCAT.

(g) Doctiss. L'ADVOCAT aberrare putat Thuanum, & pro Goveano, memoriae vitio, alium intendisse, de quo Ronsardum audivisset, quum Ronsardus natus 1526. annum ageret decimum octavum 1544. quando Goveanus Lutetiam relinqueret. Evidem credo, iam tum Ronsardo innotuisse Goveanum, cum Lutetiae Philosophiam profiteretur & caussam Aristotelis contra Ramum ageret.

N. III. GEORG. BVCHANANVS in Hendecasyllaborum Libro, Hendecasyll. v.  
pag. 346. Tom. II. edit. oper. omn. Lugd. Batav. 1725.

*Ad ANT. GOVEANUM.*

*Si quicquam, GOVEANE, fas mibi esset,  
Invidere tibive, TEVIOVE,  
Et te nostro ego TEVIO inviderem;  
Et nostrum tibi TEVIVM inviderem:  
Sed cum me nihil invidere sit fas,  
Vel tibi, GOVEANE, TEVIOVE:  
Si fas est, quod amor dolorque cogit,  
Vobis imprecor usque & imprecabor,  
Vterque ut mibi, sed cito, rependat  
Hoc pravum ob facinus malumque poenas:  
Te mi TEVIAS invidere possit,  
Tu possis mibi TEVIVM invidere.  
Ambobus mibi si frui licebit,  
Coelum Diis ego non suum invidebo;  
Sed sortem mibi Dii meam invidebunt.*

N. IV. M. ANT. MVRRETUS Epigramm. 2. edit. in Deliciis Poëtar. Gallor. collectis ab RANVTIO GHERO, (IANO GRVTERO) Tom. II. pag. 754. edit. 1609.

*ANTONIO GOVEANO.*

*Summe Poëtarum, quos secula nostra tulerunt,  
Cui sacra Castalii fluminis unda subest:  
Accipe non tetrica iuvenilia carmina fronte,  
A domino limam iussa subire tuam.  
Vt tibi si (quod vix ausim sperare) probentur,  
Olim se lucem posse videre putent.  
Sin minus, aeterna damnentur, ut omnia, nocte,  
Adspectu tanti facta beata viri.*

N. V. PETRVS SANCHES, Poëta Lusitanus, (h) in Epistola ad IGNATIVM de MORAES Tom. I. Corporis Poëtar. Lusitanor. ANT. dos REYS.

*Ad numeros facilem non te, GOVEANE, tacebo;*

*Qui sic interdum laxis decurris habenis,*

*Praecipue stolidi cum rides dogmata RAMI,*

*Vt Tagus in pontum, rapidos cum combibit amnes,*

*Proruit, & campos late disternat omnes.*

N. VI. EVSTACHIVS KNOBELSDORFIUS (i) apud BVLAEVUM Tom. VI.

Hist. Vniv. Parif. pag. 919.

*Edita quam primum legi tua Carmina, dixi,*

*Prima Poëtarum laus GOVEANVS erit.*

*Omnia Pelignis tam versibus aemula cantas,*

*Tam tua nescio quid dulce Thalia sonat.*

*Nomina deme tuae CATHARINAE pone CORINNAM,*

*Et Lusitanum composuisse negem.*

*Perge, decus patriae, ventos neque sperne vocantes;*

*Nam NASO nostri temporis esse potes.*

*Vtque tibi Musae, mibi sic GOVEANE, faveto,*

*Et nihil in terris te mibi maius erit.*

N. VII. SCALIGER in Scaligeranis primis pag. 59.

GOVEANVS doctus erat vir, & valens Dialecticus, optimus Poëta Gallicus, nec enim Hispanum iudicaveris, adeo bene Gallice loquebatur. (l)

N. VIII.

(h) Vitam huius Poëtae, Goveano nostro coaetanei, vid. apud MACHADO Bibl. Lusitan. Tom. III. pag. 614. seq. Carmen est Heroicum versuum 592. quo laudavit illustres sui temporis Lusitanos Poëtas.

(i) Videtur hic Parisis commoratus fuisse, quo tempore Goveanus Lugduni Epigrammata & epistolas luci exponeret. Eiusdem auctoris carmen videtur, quod nomine EVSTACHII CNOBELSDORPII Pruteni in académiae Parisiensis institutionem & gloriam legitur apud MIDDENDORP. Academiar. Celebr. Lib. VI.

pag. 359. Von Knobelsdorf nobilis fuit familia Silesiaca: vid. das Deutsche Wappenbuch Tom. I. pag. 57. edit. Francof. 1657. alia nobilitata ibid. memoratur Tom. IV. pag. 107. Sed Goveani amicum credo, ex priori gente fuisse.

(l) Idem pag. 101. Goveanum inter excellentissimos eius temporis Poëtas commemorat. Et in Scaligeran. Secund. pag. 126. GOVEANVS fuit doctus Lusitanus: CALVINVS vocat illum atheum, cum non fuerit, debebat illum melius nosse. conf. Sect. I. not. df.

N. VIII. IACOBVS CVIACIVS in Nott. ad Fragmenta VLPIANI Tit. IV. edit. Tolosae 1554.

ANTONIVS GOVEANVS, cui ex omnibus, quotquot sunt aut fuere, Iustiniane*iuris Interpretibus*, si quaeratur, quis unus excellat, palma deferenda est. (m)

N. IX. IACOBVS MENOCHIVS in Commentar. in omnes praecipuas recuperandae possessionis Constitutiones, ex LEONARDI TORRENTINI typographia: in Praefatione, data ex Monte Regali x. Kal. Augusti 1565. post laudatos academiae Montis Regalensis Professores eius temporis. *Caeteros*, inquit, *silentio involvam*, qui summa cum studiosorum iactura in hac nostra academia docendi munus, ad maiora & graviora vocati, deseruerunt: in quorum numero est ANTONIVS GOVEANVS, *Iureconsultus* toto terrarum orbe celeberrimus, Serenissimi Ducis nostri a secretis Consiliarius, qui ita BARTOLO adversatus est, viro alioqui doctissimo, & inter nos tres magni nominis Interpreti, ut illius abhuc Manes propriam agnoscere possint inscitiam, propriosque errores fateri.

Idem Lib. I. de Arbitr. Iud. Quaest. cap. II. vocat *Virum doctum sibique per familiarem*: & postea eod. Lib. Quaest. 79. eruditum quidem, sed non parum audacem.

N. X. ANT QVESADA in Var. Quaest. Cap. xvii. n. 8. edit. Salmanticae 1573: in fol. vocat GOVEANVM magni iudicij & eruditionis virum.

N. XI. ANT. FABER in Praefat. prior. Libror. Coniecturatum. (n) IV M  
*Fatetur Hispania, quae duorum ANTONIORVM AVGVSTINI & GOVEANI gloriam, toto orbe celeberrimam, priscorum laudibus anteponit.* Idem Lib. I. Coniectur. Cap. 3. *Virum mirabili ac felicissimo ingenio* vocat. Cap. 15. *Subtilissimum ac clarrisimum*

(m) Idem ex Cuiacio audivisse testantur THVANVS, cuius elogium supra citavimus N. I. & PAPYR. MASSON in vita Cuiaci edit. Paris. 1590. repetit. in Collect. LEICKHERI pag. 279. idem tamen CVIACIVS Lib. III. Quaest. Papinian. ad l. 12. de Vulg. & Pup. Subst. Goveanum reprehendens scribit, qui contrarium suae opinioni afferant, deducendos esse ad Institutiones: sed Goveanum defendit SCHIFFORDEGHERVS Lib. II. Tract. 2. ad Comm.

Fabrian pag. 40. Atque hoc quidem pro autoritate sua, inquit, in Goveanum Cuiacio dictare licuit, utinam vero ipsi aequo libuisse, ad eas rationes respondere, quas Goveanum in diversam adduxisse sententiam certum est; sed hic Cuiacius Tacitum Siliumve agit, foedaque negligentia praeterit illud, in quo Goveanus caussae suae arcam collocarat.

(n) Quos edidit 1580. vid. TAISAND Vies des Iurisconsultes pag. 200.

rissimum Iurisconsultum, alibi acutissimum & in enodandis legibus felicissimum. & Lib. xv. Cap. 13. virum nunquam sine laudis praefatione nominandum.

N. XII. Idem in Praefat. Coniectur. Lib. vii.

Tulit aetas nostra maximos in Iurisprudentia viros, sed praecipuos, si quid met ingenii est (caeterorum pace dixerim) ANTONIVM GOVEANVM & IACOBVM CVIACIVM. Illum, ut quidem mibi videtur, multo feliciore ingenio ad Iurisprudentiam natum, sed qui naturae viribus tam consideret, ut diligentiae laudem sibi non necessariam, minus etiam fortasse honorificam putare videretur. Hunc contra minus lucido praestantique ingenii acumine, sed qui assiduo labore se assequi quoque posse crederet, quae solis ingenii nervis parari queunt.

N. XIII. Idem de Erroribus Pragmaticorum Decad. XLIX. Error. vii. §. 8.

In quo ut minus laborandum nobis sit, effecit mirabile felixque ingenium magni illius Iurisconsulti, ANTONII GOVEANI, qui etsi in eleganti suo libello de iure Accrescendi non potuerat assequi mentem PAVLI, ut fatetur illic: in libris Var. Lect. postea tamen & mentem & rationem adsequutus est optime & explanavit non minus diserte, quam breviter suo more, sed tamen subobscure in libris Var. Lect.

N. XIV. Idem Dec. c. Error. x. sub fin.

Inter Lusitanos magnam laudem consecutus est ANTONIVS meus GOVEANVS, quem soleo dicere proprius, quam alium ullum aetatis nostrae Doctorem, ad PAPI-  
NIANVM accessisse.

N. XV. CASPAR SCHIFORDEGHERVS in Epist. Dedicat. ad Iurisprudentiae Antistites, praemiss. Lib. II. ad Commentar. Fabrian. edit. in Nobili Oppenheimio 1610.

Vnum excipio ANT. GOVEANVM, cui nemo est, quin cum homini omnia obiecerit, ingenio multum tribuat. Et sane sunt in manibus hominum eruditissimorum eius libelli, in quibus omnibus aliud magni neglectique ingenii extare certum est: quod tamen non vitio hominis, sed temporis accidisse reor, cum in id tempus incidet, in quo per multa impedimenta eluctatus ad restaurandam Iurisprudentiae dignitatem pervenit. Magna autem debet esse facultas, Iurisprudentiae instaurandae, quae invitis placeat; cum ingenia favor hominum ostendat, favor alat; quantam vim esse oportet, quae inter obstantia erumpat.

N. XVI. BENED. PINELLVS Select. Interpr. Lib. II. Cap. 18. n. 8. edit. Vinet. 1614. vocat ANT. GOVEANVM *subtilissimum nobili genere Lusitanum.*

N. XVII. PASQVIER Recherch. de la France. Liv. IX. Chap. 10. p. 902. edit. Parif. 1621.

*Repassant sur les trois chambres de ceux, qui ont escrit sur le Droict; en la premiere je fais grand estat d'ACCVRSE entre les Glossateurs, en la seconde de BARTOLE . . . . Et entre ceux de la trosiesme, qu'il me plaist de nommer Humanistes, je donne le premier lieu à nostre CVIAS, qui n'eut selon mon jugement, n'a, & n'aura par avanture jamais son pareil. Et au milieu de ces derniers, je n'en voy aucuns qui ayent escrit en langage plus élegant que GOVEA & DVAREN, au peu que l'un & l'autre nous ont laissé de leurs ouvrages, & de ces deux je donne le premier lieu à GOVEA.*

N. XVIII. IOAN. de CARVALHO in Tractat. de una & altera Quarta, impress. Conimbricæ 1631. Part. III. n. 16. pag. 272. GOVEANVM vocat *accuratissimum.* & n. 55. pag. 238. ANTONIUS GOVEANVS *noster, Lusitanus, vir magni ingenii & eruditionis.* (o)

## DOC V M E N T A V A R I A.

N. I. Epistola AEMYLII FERRETTI, qua ANT. GOVEANO Notas in Institutiones dedicavit, scripta Lugduni 1543.

*Agitur octavus annus plus minus, ex quo postulatu quorundam, iussuque Regis in Hispanias profectus sum, de certis rebus ad Caesarem: neque unquam postea ad multum temporis alicubi sum diu commoratus. Primum enim in Africam traieci, deinde mansi in Italia menses aliquot, & in aulam postremo redii: tantummodo agitans animo, quemadmodum consequerer, ut mihi liceret Lutetiae in Senatu consistere,*

(o) Plura de Goveano nostro Elogia adiungi facile possent, sed selectiora tantum, eorum potissimum, qui aetate fuere proximi, dare vo-

lui: alia nonnulla posterioris temporis exhibent MACHADO in Bibl. Lusitan. & MONTEIRO. Tom. VII. Corp. Poëtar. Lusitan.

fistere, quo fueram iamdiu cooptatus. Verum cum intelligerem, semel viam rerum publicarum ingresso, aliud ex alio nasci negotium, & in tam magna dignitate sub pudenda paupertate laborarem, sponte me magistratu abdicavi, quo frui non dabantur: temporibus etiam parum fretus, bonis artibus inimicissimis: quae nihil quenquam, praesertim alienum hominem, assequi passura videbantur sine summo labore ac periculo: tantisper autem sum secutus aulam, quantum esse fatis putavi ad iudicandum, an Regi usui esse posset opera industriaque mea. Itaque cum a conventu Niceno rediret Rex in interiore Galliam, vacuus Dei beneficio gravissimis curis, & quietem diuturnam agitans (ut videbatur) animo, substi*t*ti equidem Lugduni ea mente, ut quod superfuturum erat vitae, nisi alio occasione*s* & momenta rerum aut evocarent, aut raperent, in otio studiisque meis Civilibus transigerem, emendaturus vel qui olim minori natu exciderant Commentarios variarum rerum: vel quos multo antea scribere inceperam in Digestorum 50. libros. Cum ergo ita in otio viventi & in Literis, motus fortasse tu opinione quadam bominum de me, dedisses te ultro mibi in amicitiam: cumque ego intelligerem, te ferventem studio, & excellentem ingenio ac in disciplinis liberalibus valde exercitatum, posse facile ad maxima quaeque provebi, si eam viam ingredere, qua illuc perveniri consuevit: hortatus sum saepe numero instituendum & ornandum te, ut Civili Sapientiae traderes. Quod tandem facturum te fuisse vel me non hortante dixisti, nisi non tam difficultas rei, quae tibi profecto non temere aliqua visa est, quam Interpretes nostri deterruissent: Nam praeter id, quod ii nullum florem secuti sunt orationis, quo levaretur fastidium difficultasque laboris: dicebas, ferre te non posse barbaras eorum voces, & consuetudinem in interpretandis legibus hoc & illuc aliud ex alio miscentium atque remiscentium: cum praesertim ex me non semel audieris, puto etiam saepe ex aliis, in nulla alia re esse illos aequi occupatos, quam ut unusquisque superiorum commenta, omissa lege ipsa, subverteret, atque pugnas excitaret mirificas. Ex quo illud frequenter contingit, ut optima ingenia, quae celeriter iura consequi potuissent, cum in contrarium ducta fuerint, ipsa velocitate longiore intervallo abeant ab eo, quod persequuntur. Rogasti autem tu me, ut Institutionum, tanquam primorum huius disciplinae elementorum quasi aditum Notis quibusdam tibi adeo referarem ac patefacerem, ut per te prope

\*\*\*\*\*

illa-

illarum sine ullo Interpretis lumine cognitionem consequi posses: quod tunc equidem annui me facturum, non tam ut praestarem, aut praestare me posse considerem, quam ut te continerem in studio Prudentiae Civilis. Verum mibi aliter evenit: non enim antea cessasti tu promissas Notas efflagitare, quam re ipsa me illas perfecisse ostenderim. Eas igitur ab amantissimo animo certe profectas accipito: quibus legendis si tu tantum profeceris, quantum facturum te a me cogitatum fuit, dum illas scriberem: neque te tui studii, neque me mei laboris ulla ex parte poenitebit. Potui sane multa ex Digestorum uberrimis libris, multa ex variorum Auctorum lectione collecta (quo nihil esse puto facilius non indocto penitus homini) in has meas Notas compendio certo conferre: potui de multis, quae bucusque tradita esse arbitror, contra quam probabile sit, longe lateque differere: verum is mibi finis propositus fuit; ea causa laboris molesti certe, nec minimi: primum ut tu, deinde ut fortasse alii etiam propter te discerent elementa Civilia (id quod oportuit) sincere atque dilucide: ne dum opinionibus distractabuntur, certum locum non habeant ubi consistant: quod video voluisse maxime Imperatorem: qui nos fere ubique reiicit ad latiora Pandectarum volumina, atque in vestibulo tradit Institutionum, eas esse suo iussu editas distincte & breviter: ne multitudine aut perplexitate rerum obruerentur tenera atque rudia ingenia adolescentium: quin extremo opere, ut vobis (inquit) possibile sit summo dligito, & quasi per indicem ea tetigisse: illum autem equidem sequutus sum de industria: nam quemadmodum initio vulgatoria quaedam is ac magis trita tradidit de Iustitia scilicet & iure, de ingenuis & libertinis, de rebus etiam corporalibus & incorporalibus, & similia: deinde ubi ad successiones obligationesque pervenit, omnia tractat subtilius. Similiter mibi ipse faciendum existimavi, ut primis lapidibus quasi fundamentorum iactis ac positis, paulatim aedificium maiore cura assurget, donec totum integrumque perficeretur: itaque non errore, sed iudicio omnia simpliciter tradidimus, donec visi sumus iam instruxisse legentis animum: semper autem meminimus propositi nostri altiores scilicet quaestiones ad alios libros conferendi, qui iamdiu nobis (ut dixi) sunt in manibus. Via enim (ut scribit QUINTILIANVS) opus est incipientibus, sed ea plana: & cum ad ingrediendum, tum ad demonstrandum expedita. Indignum autem nemo iudicabit hac aetate bisque studiis, a quibus maiora

quae-

quaedam forte exspectantur, tractasse elementa Civilia: nam illa sine his, quemadmodum sine radieibus ac stirpibus arbores, nec existare, nec ullum omnino fructum ferre possent: nam sine principiis extrema intelligi nequeunt, quamquam brevi futurum spero, ut in ea quoque parte industria nostra minime desideretur. Curavi igitur, quantum fieri per me potuit, ut & singula suo loco suisque ac propriis vocibus tradarentur: neque quicquam appingeretur non valde necessarium: quae est enim perversitas elementa discentibus ingerere atque obtrudere ea, quae vix paratissimis atque prope perfectis nota esse possunt? vel idem explicare ineptissimis alienissimisque verbis, quod eodem prope vestigio suis atque usitatis ex contextu ipso facillime disci valeat: quemadmodum in tractatu de Interdictis: qui tibi notus erit cum eo perverneris: pro possessore, & pro herede possidentes Imperator nominavit: quorum verborum, quantum ad id attinet, de quo ibi agitur, non potuit aptius aut expressius significatio demonstrari, quam ab ipso paulo post factum est Imperatore: cum tamen nescio quid salebrosum & anceps ibi ACCVRSIUS scripserit, quod etiam prudentissimos ac exercitatissimos potius torquere posset, quam instruere. Tantam autem habet vim ordo & series rerum continenter tradita, ut per eam in reconditorum notiam nullo negotio recto itinere perveniamus: quis enim est, cui per se notae esse non possint ac numeratae actiones descendentes ex variis caussis? quique ignoret vim arbitrariarum, & Salviani interdicti, ac Serviana actionis differentias? qui ordine suo, & suis quaeque locis elementa didicerit: & non (ut nostri consuevere) cum initiorum fere nihil degustaverit, exemplo ad hereditatum caussas, aut actiones perdiscendas accesserit: id quod mibi Senis olim contigit, cui puero & ignaro penitus rerum nostrarum, propositus ingredienti scholas tractatus fuit de usucacionibus: ubi cum de aequitate civili, de vi temporis, de possessione legitima & naturali quotidie verba fierent: ego quicquid illud erat ne suspitione quidem ac conjectura assequi ullo pacto poteram. Scio certe plerosque, qui in suis formulis consenserunt, damnaturos nos propter te susceplos labores, vel quia longissime abierim a traditionibus eorum, quibus iamdiu fora omnia circumsonant, vel quia turpius esse putant discere, quam deceat praesertim motos insolentia Latinarum dictionum atque vocum: qui nescio cur rectius esse putent, si omnes utantur vocibus ACCVRSII, BARTOLIQUE, &

similium, minime profecto malorum ac imperitorum hominum, sed fortasse haud plane instrutorum ad id, quod aggressi sunt: quam aut CAII, aut VLPIANI, aut aliorum Iurisprudentium, e quorum literis ac monumentis compositi sunt Digestorum libri: quorum commentariis praeter id, quod vis tributa est legum Constitutionibus IVSTINIANI, inesse videoas antiquae vestigia puritatis. Fuit enim, auctore FA-  
BIO, summus circa verborum proprietatem labor Iurisconsultis. Nos vero tantum Latine loquuti sumus, quantum satis esse putavimus ad intelligendum, quid sentiremus, & ad indicandum, res Civiles posse non omnino barbare tractari. Quod vero ad res attinet: nihil invenient in his commentariolis, quod non testimonio Prudentum veterum nitatur: in quibus excutiendis, si quid me fefellit (possunt autem & pleraque, & omnia) erunt aliorum partes, ea non maledictis, sed bene inventis ac tradi-  
tis refellere atque repudiare: cum enim hoc suscepimus, ut tibi primum prodessem,  
deinde ut aliis propter te: quo in proposito continetur utilitas publica: meretur ista  
profecto voluntas, ut mibi omnes iuris Civilis studiosi non maligne carpendo, sed bene  
scribendo onus hoc adiutare studeant. Cum ergo, GOVEANE, legibus rogandis nulla  
inquam natio tantam prudentiam adbibuerit & diligentiam, quantam populus Ro-  
manus, cui illatum beneficio ac sanctitate contigit ccc. paulo minus annis adeo crevisse  
opibus, ut orbem fere universum sibi parere coegerit, imperio (ut ait LIVIUS)  
legum potentiore, quam hominum: quid est, cur tu putes, alibi posse te laborem ope-  
ramque collocare melius, quam in illis perdiscendis, quarum et si vetus maiestas culpa  
& improbitate hominum foede perierit, umbrae tamen & imagines adbuc magnae  
supersunt: quamobrem omissa binc, & inde memoriter, & indocte quasi conluvie  
rerum ab iis collecta, quos (ut apposite ille scribit) magna professos in minimis videoas  
esse versatos: emitere tu, ut talis evadas, qualem nominis Lusitani vetustas & am-  
plitudo postulat: ut Rex tuus possit aliquando te merito tuo bonoque publico tribunal  
ac iurisdictioni in Regno suo praeponere: quod ut facilius consequare, dabo ego ope-  
ram, ut nostri cito exeant Commentarii in Pandectas, quos iam duodecimum annum  
multa cura parturio. Vale. Lugduni Calend. Maiis. [MDXLIII.]

N. II. Excerptum ex Libro Rectorio universitatis Parisiensis, quod exhibet BV-  
LAEVS Tom. vi. Hist. Vniv. Parif. pag. 387. & LAVNOIUS de varia ARISTO-

TELIS Fortuna in Academia Parisiensi, Oper. omn. Tom. iv. Part. i. pag. 206.

Eo Rectore (GVILLELMO MONTVELLO) nescitur, quo genio malo irrum-  
pente in academiam, ingens facta omnium studiorum repente perturbatio, edito recens  
libello, cui titulus erat, Animadversiones Aristotelicae, ad extinguendam in totum  
doctrinam unius ARISTOTELIS, omnium Philosophorum facile Principis: cui sane  
morbo non leviter grassanti, & mentibus ad quidvis, quod sit novum & inauditum  
facile sequacium paulatim sese insinuanti, mature & consulto est occursum; partim  
decreto Iudicium, qui prudenter librum illum statim suppresserunt &, ne divendere-  
tur, publice inbibuerunt, partim editis brevi aliquot libris pro ARISTOTELE,  
quibus Auctoris istius libelli, calumniarum & mendaciorum pleni, interclusae sunt  
furiae: postremo tandem Christianissimi Regis consilio, cum superiora omnia non  
viderentur esse satis, ad tantum ignem, qui quotidie magis ac magis flagrabat, re-  
stinguendum, delecti sunt tres, in omni linguarum & literarum genere exercitatiissi-  
mi; qui cum libellum illum & alterum eiusdem Auctoris propius penitusque inspexis-  
sent, & libellorum Auctorem, iuxta Regis Decretum, praesentem pro se dicentem  
praesentes ipsi audivissent, ex aequo & bono iudicantes, magnam inclusam esse li-  
bellis impudentiam & ignorantiam Regi declararunt, qui pro sua in suam acade-  
miam solita benevolentia, confectis Regio sigillo notatis litteris, omnibus regni par-  
tibus fugiendam hanc pestem significandum censuit.

N. III. Iudicium Decretorum de libris P. RAMI a tribus Censoribus Regi obla-  
tum. (ex BVLAEO Tom. vi. Hist. Univ. pag. 394.)

Quum Christianissimus Rex noster, pro suo in Philosophiam & recta studia ani-  
mo nobis id oneris imposuerit, ut librum quendam P. RAMI, quem is Animadver-  
sionum Aristotelicarum nomine inscriptum edidit, accurate legeremus, & quae de  
illo sententia nostra esset, exponeremus: nos diligenter perfecto libro, & singulis  
eius animadversis ac ponderatis sententiis ita censuimus: RAMVM temere, arro-  
ganter & impudenter fecisse, qui receptam apud omnes nationes Logicae artis ratio-  
nem, quam ipse praesertim non teneret, damnare & improbare voluerit. Ea au-  
tem, quae in ARISTOTELE reprehendat, huiusmodi esse, ut hominis cum igno-  
rantiam & stuporem, tum vero improbitatem & malitiam arguant; cum & multa,

quae verissima sunt, criminetur, & pleraque tribuat ARISTOTELI, quae is nunquam sentit. Denique toto eo libro, praeter mera mendacia & scurrilem quandam maledicentiam, nihil contineri. *Vt Literariae reip. plurimum nostra sententia interesse videatur, librum omni ratione supprimi, unaque librum alterum Dialecticarum Institutionum, quod is quoque aliena multa & falsa contineat. Lutetiae an. 1544. Cal. Martii.*

N. IV. Literae Regis FRANCISCI I. quibus Iudicium Decretorum, contra P. RAMVM latum, confirmatur. (ex LAVNOIO de var. ARISTOTELIS Fortuna, pag. 206.)

FRANÇOIS par la grace de Dieu, Roi de France. A tous ceux qui ces présentes Lettres verront, salut. Comme entre les autres grandes sollicitudes, que nous avons toujours euës de bien ordonner & establir la chose publique de nostre Royaume, nous avons mis toute la peine, que possible nous a esté, de l'accroistre & enrichir de toutes bonnes Lettres & Sciences, à l'bonneur & gloire de Nostre Seigneur, & au salut des Fideles; puis n'agueres advertis du trouble advenu à nostre chere & aimée l'Université de Paris, à cause de deux Livres faits par Maistre PIERRE RAMVS, intitulez, l'un Dialecticae Institutiones, & l'autre Aristotelicae animadversiones, & des procez & differents qui estoient pendans en nostre Cour de Parlement audit lieu, entre elle & ledit RAMVS, pour raison desdits Livres, nous les eussions évoquez à nous pour sommairement & promptement y pourvoir, & à cette fin eussions ordonné, que Maistre ANTOINE de GOVEA, qui s'estoit présent à impugner & debattre lesdits Livres, & ledit RAMVS, qui les soustenoit & defendoit, éliroient & nommeroient de chacun costé deux bons & notables personnages, connois- sans les Langues Grecques & Latines, & experimentez en Philosophie, & que nous elirions & nomerions un cinquième pour visiter lesdits Livres, ouïr lesdits de GOVEA & RAMVS en leur avis: suivant laquelle nostre Ordinance eust ledit GOVEA élu & nommé Maistres PIERRE DANÈS, & FRANÇOIS à VICOMER- CATO, & ledit RAMVS Maistre JEAN QVENTIN Docteur en Decret, & JEAN de BEAUMONT Docteur en Medecine; & nous pour le cinquième, eussions nommé & ordonné nostre cher & bien aimé Maistre JEAN de SALIGNAC Docteur

en Theologie; par devant lesquels lesdits de GOVEA & RAMVS eussent esté ouys en leurs disputes & debats, jusques à ce que pour interrompre l'affaire, iceluy RAMVS se seroit porté pour appellant desdits Censeurs, dont nous advertis eussions decerné nos Lettres à nostre Prevost de Paris, ou à son Lieutenant, pour contraindre lesdits de GOVEA & RAMVS à parfaire leurs disputes, afin que par lesdits Censeurs nous fust donné ledit avis, nonobstant ledit appel, & autres appellations quelconques, suivant lesquelles nos Lettres, eussent lesdits de GOVEA & RAMVS derechef comparu par devant lesdits Censeurs, & voyant que par iceluy RAMVS, lesdits Livres ne se pourroient soustenir, eust déclaré n'en vouloir plus disputer, & qu'il les soumettoit à la censure des dessusdits; & comme on y vouloit proceder, lesdits de QVENTIN & BEAUMONT, l'un après l'autre eussent déclaré ne s'en vouloir plus entremettre. Au moyen de quoi eust iceluy RAMVS esté sommé & requis d'en élire & nommer deux autres. Ce qu'il n'eust voulu faire, & si fust du tout soumis aux trois autres dessus nommez, lesquels après avoir le tout veu & consideré, eussent esté d'avis que ledit RAMVS avoit esté temeraire, arrogant & impudent d'avoir reprouvé & condamné le train & art de Logique receu de toutes les Nations, que luy mesme ignoroit, & que par ee qu'en son Livre des Animadversions il reprovoit ARISTOTE, estoit évidemment connue & manifeste son ignorance. Voire qu'il avoit mauvaise volonté, de tant qu'il blasmoit plusieurs choses, qui sont bonnes & veritables, & mettoit sus à ARISTOTE plusieurs choses à quoy il ne pensa oncques. Et en somme ne contenoit son dit Livre des Animadversions que tous mensonges, & une maniere de médire, tellement qu'il sembloit estre le grand bien & profit des Lettres & Sciences, que ledit Livre fust du tout supprimé: semblablement l'autre dessusdit intitulé, Dialecticae Institutiones, comme contenant aussi plusieurs choses fausses & estranges: Scavoir faisons que veu par nous ledit avis, & eu sur ce autres avis & deliberations avec plusieurs scavans & notables personnages estans les nous, avons condamné, supprimé & aboly, condammons, supprimons & abolissons lesdits deux Livres, l'un Institutiones Dialecticae, l'autre Aristotelicae animadversiones, & avons fait & faisons inhibitions & defenses à tout Imprimeurs & Libraires de nostre Royaume, Pays, Terres & Seigneuries, & à tous autres